


2
6
227












Schiru lanu mischir i sion. | cantate nobis de cātici sion.

XXXI

PONC. resp
ad WARAM

KEEP

7



RESPONSIO AD LIBRVM

Leonharti Vvaramundi, Hæretici Caluiniani, in causa Coloniensi.

Auctore D. Gonsalo Ponce de Leon Hispalensi.

Prouerb. XXVI.

Responde stulto iuxta stultitiam suam, nè sibi sapiens esse videatur.

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE,

Apud Franciscum Zanettum. M.D.LXXXV.

Errata, qua ab ſcriptura, qua ab interpunctis, vltima pagina indicantur.

II

ILLVSTRISSIMO AC REVERENdissimo Domino Domino Ernesto Comiti Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ Duci, &c. Archiepiscopo Coloniensi, Principi Electori & per Italiam Sacri Imperii Archicancellario,

Don Gonsalus Ponce de Leon. S. P. D.





RAT mihi maius aliquod officium præstandum, Præsul Illustrissime, quo aut tuam ignotus omnino homo gratiam demereri, aut obseruantis saltem animi mei documentum exhibere possem. Sed tu, (quando & præclaris animi dotibus excellis, & maiorũ tuorũ Imperatorum imaginibus clares, & præ eximia tua felicitate nullius in te meritis indiges) hanc affectionis nostræ qualemcumque notã aliquo, spero, loco habebis. Adducor enim ab hisce tuis externis internisquè ornamentis, à quibus haud raro abhorrere solet vel exigui muneris contemptio. Accipe igitur æquus

responsionem hanc meam; quæ cum in sacrosancta FIDEI nostræ aduersus Leonharti Vuaramundi calumnias, defensione, versetur, in ipsius tui defensione æque illam versari, constanter affirmo. Cur enim committam, vt religionis orthodoxæ causam, à religiosi orthodoxique Principis, qualem Dei gratia Ernestum esse nouimus, causa disiungam? Addo etiam causam Romanæ Sedis huius; cuius tu paternæ pietatis amplissima officia assiduo experiris, ãpliora indies experiere. Quapropter libellum hũc, eo quidem fidentius tibi dedico, quo te eiusdem Catholicæ Ecclesiæ, id est Romanæ, & inuictum propugnatorem, & obsequentem filium esse, certo scio. Bene vale Illustrissime & Reuerendissime Antistes. & me tuorum numero adscribe. Romæ, Kal. Januar. Anno salutis M.D.LXXXV.

III

AD CHRISTIANVM LECTOREM PRAEFATIO.



B ipſo naſcentis Religionis noſtræ exordio, (Chriſtiane lector) vel quod Euangelij lux ſplendidiſſima, oculis prauorum hominum, peccatorum tenebris caligãtibus, offenſio fuit; vel quod terrena ſapientes, & ſuperbia ſpiritus elati, à recto ſalutis tramite deuiarunt; vel quod oporteret, (vt prædixit Paulus) hæreſes eſſe, & ſchiſmata, vt ij qui probati eſſent, manifeſti fierent in nobis; vel denique quod diuini præiudicij incomprehenſibile decretum, aliud quidem miſericordiæ vas in gloriam ſempiternam præparatum, aliud vero iræ, aptum in interitum, ex hoc ſuo humano figmẽto facere deſtinauit, nullo inquam in Catholica Eccleſia tempore defuere, qui circa fidem miſere naufragium faciẽtes, ſectas perditionis introducerent, magiſtri mendaces, errantes ipſi, & in errores alios plurimos mittentes. Moleſtum eſſet, ſi antiquiſſima iſtorum deliria nunc percenſerem, inhumanum ſi tam infauſta narratione naturæ noſtræ vlcera refricarem; præſertim quando calamitoſum iſtud in quod incidimus æuum, huius veritatis (proh dolor) teſtis ſit locupletiſſimus. Verum enimuero etſi impios iſtos reliquerit Domi-

nus,

nus, vt in eis erudiret populum ſuum, tamen vt optimum decebat patrem familias, domui ſuæ ſolertiſſimos ſemper præpoſuit cuſtodes, qui hoſtiles incurſiones propellerẽt, & vt orthodoxæ claſſis ſedulũ gubernatorẽ oportuit, lucidiſſimas in eminenti ſpecula collocauit lucernas, quæ in alta rerum caligine, vaſtiſſimiſque opinionum procellis ad ſalutis portum Eccleſiæ nauim deducerent, infameſque ſcopulos uitandos eſſe demonſtrarent. Et vero, ſi rem conſideres, non vltima laus vineæ Dominicæ operariorum hæc fuit, ſi (quando ſalubres ſationes non ſererent) noxias tamen ac peſtilentes herbas, tribulos & lolium quæ triticum ſuffocant, euellerent, eruerent, eradicarent. Excelluerunt in hac parte percelebres illi Græci veteres Theologi, (quos omnes fere vnum tulit ſæculum) qui Arij, Macedonij, Neſtorij aliorumque hæreſes in Oriente exortas, per Orbem graſantes ſcriptis confutarunt; & qua in diuerſi argumenti commentarijs, qua in peculiaribus apologijs Catholicam Religionem ſarctam tectamque ad poſteros tranſmiſerunt; Athanaſium dico, Baſilium, Gregorios duos, Cyrillum vtumque, Epiphanium, Theodoretum, vt ommittam Iuſtinum, Irenæum, & his antiquiores quorum ad nos ſcripta, vel nulla vel minus integra iniuria tem-

porum

IV

porum peruenere. Ii rursum qui furentibus in
Africa Pelagianis Donatistisque strenue se se
opposuere, & mõstra illa plane Lybica veri Ἡρα-
κλεῖς ἀλεξίκακοι, verbi diuini gladio confoderunt,
egregiam certe operam, & Christianæ Reipu-
blicæ multo salutarem præstitere. Dabitur ali-
quando forsan, alicui docto & pio viro otium
et occasio scribendi, de vtilitate ex sanctis his
Patribus aduersus hæreses comparanda, & qua
in re quotus eorum quisqe excelluerit, differen-
di; nec enim ingratum erit studiosis Religionis
nostræ; si ad manum habeant aduersus commu-
nes hostes instructissimum apparatum armamẽ
tarium; maxime cum quotidie bellum nobiscũ
redintegrẽt peruersi isti, semper quid noui mo-
liantur, nunquam non machinentur. Nunc vt
ad ætatis nostræ huius argumẽti scriptores de-
ueniam; Dei gratia, quam plurima certe illorũ
extant edita scripta, quæ & imbecilles firmare,
& tardiores instruere, & populum erudire, ad-
versariorum fallacijs detectis, optime possunt;
et (quod maximũ est) in sæcula vẽtura, quæ fue-
rint in tanto rerum turbine, quo Mundum, æuo
hoc, prauorum hominum opera fuisse exagita
tum, ab Historicis discent, quæ inquam fuerint
in hoc discrimine Catholicæ Ecclesiæ vera dog
mata, & contra, quæ Satanicæ Synagogæ deli-
ria

ria teſtatum relinquunt. Itaque præclare illi quidẽ et de nobis merentur, qui nunc viuimus, & eos, qui in vita ſuccedent, vtiliſſimo longe officio proſequentur.

Rationem tibi reddideram hactenus plane dilucidam, Lector optime, quæ nos ad ſcribendum aduerſus Leonhartum Vuaramũdum impulit: cur enim ego, etſi minimus, Eccleſiæ tamen Catholicæ diuina miſeratione ciuis, vna cum meis quando non robore ac viribus æque præſtans, eodem tamen Chriſtiano affectu ad mœnia non accurram? cur hoſtium violentiam (vt vt poſſum) non reprimam? cur denique (vt mihi datum eſt a Domino) profeſſionem meam qualicumque officio non declarem? Hæc, dico, ad ſcribendum ſatis idonea ratio fuiſſet, niſi aliquot contra vrgere viderentur, quibus tamen paucis ſatisfacere non grauabor: Primum (quod ingenue dixerim) tale eſt aduerſarij mei ſcriptũ, vt non modo reſponſione non indigere ſanus quiſq. exiſtimet, uerũ luſiſſe prorſus operã merito cẽſeatur, qui in tã abſurdis calumnijs, & plane ridiculis ineptijs cõfutandis, tẽpus triuerit, Enim vero cum propria hæc ſit Hæreticorum omnium calamitas, vt vna cum vera religione, in belluinam veluti naturam degenerantes, cõmunem etiam ſenſum amiſiſſe videãtur, in vno

tamen iſto, ſic ad oculum expreſſum eſt hoc, vt vere iudicet, qui eius admonitionem legerit, de induſtria illum affectaſſe, nihil in ea aliud effutire, quam mera commenta, vaniſsimas calumnias, abſurdiſsimos errores. Deinde, quando id demus illi, vt probabili aliqua ratione peruerſa ſua dogmata fucet, quis, rogo, tam otij prodigus ſit, vt iteratiſsimam cantilenam occinenti reſpondere, ſanum iudicet? aut quod a doctiſsimis viris (vt principio reſponſionis meæ memini) aduerſus calumniatores iſtos toties actum eſt, a me iterum ob vnius liuorem tentari debere, exiſtimet? Hæc nimirum, Lector cãdide, quæ ab amiciſsimis quidem, nedum a maleuolis, obijci nobis poſſunt, haud inficior, quam maximum pondus, quantamque uim habeant. Cæterum id vnum nos, & ab omni ſcribendi cunctatione remouit, & ab hac obiectorum ſilua liberauit, quod certo ſcirem, eiuſmodi eſſe, (vt dixi) perditiſsimorum horum hominum turbam, vt quæ a ſanis integriſq. hominibus expreſsiſſima deliria vere iudicantur, illa ipſi cõmendent, ſuſpiciãt, & attoniti admirentur. Quapropter ne in hac cauſa (nullo Catholicorũ reclamãte) victoriã agerent; & vt quæ in Vuaramundo laudãt forſitan & prædicãt, meras eſſe nugas vel in

 uiti

uiti agnoſcant, non abs re duxi Apologiã hanc aduerſus illũ ſcribere. Præterea (vt ad ſecundam obiectionẽ veniam) ſolent eodem ingenio iſti, etſi millies a Catholicis profligati, ex inſidijs tamen & furtim adoriẽtes, & per cuniculos Eccleſiæ arcem pertentantes, ſi quando quid impuniti patrent, quaſi in poſeſsionem miſsi, ius ſibi acquiſitum eſſe, vulgo oſtentare, & præſcriptionis titulo, (quemadmodum in hac ſua admonitione non ſemel contẽdit iſte,) nobiſcum experiri: itaq. etſi multa catholica ſcripta manus hominum peruagentur, quibus iſtorũ ſtultitia, liuor, & calumnia plane deteguntur, illorũque errores docte & pie confutantur; decet tamen, vt nec hiſcere vnquam illi audeant, quin ſtatim nobis pœnas luant, nunquã vel minimæ pauperiei rei deprehendantur abſque maſtige, abſq. loris, abſque virgis.

Iam quod ad nos attinet, id etiam te Lector ſcire cupio, non quidem me ſummopere curaſſe, vt ea, de quibus tractarem, nouis nunc rationibus, nec ab vllo alio ſcriptore adnotatis argumentis, comprobarentur, tum quod id mihi (indocto plane & rudi homini) difficile eſſet, tum quod nudos errores ſuos propalãs aduerſarius, nullam de his, quæ a noſtris dicta ſunt, mentionem

nem

nem fecerit,tantũ abeſt vt confutarit; quare licitum mihi fuit, eiſdem illum rationibus coarguere,quibus eædem ipſæ impietates (quas nũc euomit) iam olim improbatæ ſunt. Adduxi igitur ſæpe in confirmationem eorum,quæ ſcripſi, & ſacræ ſcripturæ teſtimonia ab alijs ãte me adducta, & ſanctorum Patrum locos aliquot, (plures enim, quod ſine arrogantia dixerim, a nemine animaduerſos, noto) ab eiſdem indicatos, indicaui; ſed certe (quod me oportuit) vbiq. candide, vel enim ad orã libri, auctorẽ a quo hauſi allego, vel ſi iſtud prolixitatis euitãdæ cauſa omitto, ipſammet auctoris ſententiã ſic ad verbum (quod aiunt) prudẽs exſcribo, vt vel me non indicante,ſuo cuiuſqe rei auctori, facile ſit legenti,propriam laudem deferre.

Demum quod ad orationem pertinet, Eccleſiaſticam certe dicendi phraſin, (ſic enim illam voco,quæ Auguſtini,Hieronymi,Ambroſij, aliorumque ſanctorum Patrum ſcriptionem redolet) ſi mihi electio daretur,potius quam Tullianam aut Varronianã ſequi maluiſſem; decet enim (vt eloquentiſsimus ille oratorum omniũ Paulus admonet) non in ſublimitate ſermonis annunciare teſtimonium Chriſti, nec in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis,ſed in oſten-

ſione ſpiritus & veritatis ſpiritualia ſpiritualib, comparare; verum quando neutrum præſtare potuimus, nec ad ſanctorum Patrum normam ſtylum componere licuit, nec rurſum puram il lam & elegantem locutionem, qualem plerique amāt, adipiſci, id ego tibi Chriſtiane Lector no tum eſſe volui, prioris certe me partis tamquam potioris, non vltimæ, quam in eiuſmodi ſcriptis plane vltimam eſſe cenſeo, æmulatorem præſtitiſſe. Tuum igitur erit, & hæc, quæ aduerſus cōmunes hoſtes, animo certe vere chriſtiano, exhibentur, grate accipere; & in plauſibiliori argumento (quod iam præ manibus eſt) Deo auſpice, vberiorem forſan legēdi voluptatem bonarum litterarum ſtudioſis noſtro nomine polliceri. Vale. Romæ. Kal. Ianuar. M D.LXXXV.

VII

SVMMAE CAPITVM QVAE INDICIS LOCO SERVIENT.

nos

RESPONSIO AD LIBRVM

Leonharti Vvaramundi Hæretici Caluiniani, in cauſa Colonienſi.



Eccleſiæ Catholicæ Romanæ laus: error Vvaramundi in Hiſtoria conuictus. Cap. I.



Ecte quidem Vrbem hanc, Orbis terrarum lucem, ex nationum conuentu conſtitutam Ciuitatem, appellarunt antiqui; cui ſcilicet cæleſti prouidentia conceſſum eſt, vt ad illam, tanquam ad frequentiſſimum Orbis emporium, vel è longiſsimè diſsitis mundi partibus, nouæ quotidie res & homines confluant. Quo fit, vt in tam vario congeſtu optima frequenter cum peſsimis concurrant. Vt enim rapidus torrens margaritas perſæpe ac gemmas, limoſas tamen & fæculentas ad littora voluit, ita fieri neceſſe eſt, vt in confuſa nationum, linguarum, populorum multitudine, non omnia ſincera, pura putaquè deferantur. Eſt autem rectè inſtitutæ rationis munus, optima quæque retinere, ſordida quę ſunt & abiecta, reijcere. Hoc igitur, Leonharte Vvaramunde, Vrbis auſpicio contigiſſe arbitror, vt ſuperioribus hiſce diebus

inter alia egregiæ litteraturæ monumenta, quæ singulari Deo beneficio in maximam Reipublicæ Christianæ vtilitatem prodiere, librarijs etiam sarcinis libellus quidam tuus obtrusus ad nos perlatus sit. Illum verò mihi primo omnium videre contigit. Nam cum Germanum quendam, virum certè pium & doctum, mihi etiam perfamiliarem fortè conuenirem, atque (vt fit) inter confabulandum, nunquid noui haberet ad rem literariam pertinens, interrogarem; ille eodem ipso die incidisse se dixit in Apologiam quandam pro Gebhardo Truchsio, aduersus Gregorium Pōtificem Maximum nuper emissam, ex cuius inscriptione argumentum delibauerat, cætera introspicere non licuisse alijs occupationibus impedito. Ego continuò (causam enim adiebam tùm grauissimam, tùm, si quæ vnquam, in magno theatro versantem) auidè satis lectionem libri appetij, nec prius destiti, quàm impetrato codice ab amico, & à Reuerendiss. sacri Palatij Magistro, librorum præfecto (vt mos est) obtenta facultate, totum illum absque vlla intermissione percurrerem.

Et quidem principiò in hac admonitione tua (sic enim inscripsisti) in duas ego classes contenta omnia diuidebam. Ad primam ea spectare ratus, quæ cum propè infinitis scriptorum voluminibus hactenus explicata sint, sanctorum Conciliorum decretis definita, Catholicæ Ecclesiæ consensione & auctoritate pronunciata, per te iterum in dubium trahuntur, & quasi iuris experiundi gratia sursum ad forum euocantur. Ad alteram illa referebam, quorum nouus es auctor, sed quæ (dicam quod sentio) meris tantum calumnijs, blasphemijs, conuicijs, furore obfirmas. Vtraque certè sanum hominem à contentione auertere iure poterant. Illa enim repetere &(vt aiunt) eandem fabulam saltare denuo, non sine spectantium tædio fieret, hæc vero pari maledicentia compensare,

penſare, Chriſtiano homini turpe & indecorum eſſet;ad cauſam præterea(vt iudico) planè præpoſterũ. Pendebã igitur incertus, nec prius animum ad ſcribendum inclinaui,quàm otij mei occurreret recordatio,cuius iſto potiſsimùm teſtimonio rationem cæteris conſtare volui: mihi vero ipſi, ex qualicumque negotio (ſi nihil aliud) animi ſaltem relaxationem , quaſi proprium ac peculiarem ceſſationis fructum,capere conſtitui.

Hic igitur,Vvaramunde,propoſiti noſtri ſcopus erit, hic finis.Nec enim tam fuerim ſtolidus, tam temerarius ac præceps, vt ſacroſanctæ Romanæ Eccleſię Catholicæ, in quam impie & inſanè debaccharis, patrocinium ſuſcipiam,aut meridianæ (vt aiunt) luci faculam admouere velim. Scio equidem illam (quod Auguſtinus ait [2]) in ſole poſitam, & in manifeſtatione notam.Scio Chriſti Saluatoris noſtri pretioſiſſimo ſanguine acquiſitã [3] cum eodem Chriſto ad finem ſæculi permanſuram [4]. Hęc illa eſt cælorũ ianua [5], qua vna fidelibus ad vitam patet aditus, hæc ſponſa [6] pulcherrima,ſoror immaculata [7], columba [8] perfecta & ſpecioſa, Chriſti myſticum corpus [9], cuius caput Chriſtus. Annè igitur Domini vinea [10] fructifera,ab apris [2] vel immaniſſimis vaſtari poterit? Annè cęleſtis Hieruſalem,[3] fortiſſimum propugnaculũ Dauid, tabernaculum [4] Domini virtutum,machinis vllis dirui? caſtiſsimæ virginis [5] candor obſcurari? limpidiſsimi fontis [6] ſignati,& altiſsimi aquarum viuentium putei [7] puritas fæcibus, lutoq; obturbari? Inutilem profectò illius operam merito exiſtimes,qui iſtius cauſę aduocationem ſuſcipiat; Nõ enim eget Catholica Eccleſia vllius patrocinio,quæ Dominum omnipotentem pręſidem,defenſorem, propugnatorem, itineris etiam ducem habet. Ille quidem chariſsimam ſibi & ſui amantiſsimam ſponſam pręcedit in via [2], ille tranſibit,delebitque omnes gentes, vt ab ipſa poſsideantur [3]: ille ſuam ipſi præſentiam pol-

2 Epiſt.166. ad Donatiſtas.
3 Ad Rom. 3. Eph. 12. 1.Petri 1. 1.Ioan.1.
4 Matth. 28
5 Matth. 25
6 Cant. 4.
7 Cant. 5.
8 Cant.1.2. 4. 5. 6.
9 Rom. 12. Eph.1. Colo.1.
10 Matth.12 Luc.20.
2 Pſal. 79.
3 Cant. 6.
4 Pſal. 83.
5 Corin.11.
6 Cant. 4.
7 Cant. 4.
2 Exod. 13.
3 Deuter.31.

4 Ioan. 14. licitus est omnibus diebus vsq; ad cõsumationẽ sæculi 4.

Sed nec in Gebhardum Truchsium impium & flagitiosum hominem, turpissimum transfugam, omni malitia & scelere contaminatũ apostatam, iustissimè à Pontifice Maximo anathema decretũ fuisse probabo: causæve istius processum iterum repetam, rationẽ consilij sanctissimi Pontificis exhibebo: aut harum rerum miseram historiam, tantorumq; scelerum illuuiem à suis principijs exordiar, & rursus in ora hominum effundam. Hæc nimirũ longiorem scriptionem exigebant: Sunt preterea ipsa solis luce clariora, & quæ non petulanti tergiuersatione, non vano colore aut fuco velari possunt. Quapropter erit tantum instituti nostri, his breuiter respondere, quę à te Pontifici Maximo, sacroq; Patrum ordini, istius occasione causæ, vanè obijciuntur, singulis autem & ex ordine respondebo, ne si quid fortè imprudenter exciderit, victoriam conclames.

Tuæ verò imprimis admonitionis προοίμιον omittamus, in quo Germanicæ Reipub. tantopere studiosum te prædicas, præsentium rerum statum & conditionem doles, omnes verè Germanos ad simile studium incendis, & cum singulorum in auertendis, quæ impendent, periculis officia exquiras, tuum hac ipsa admonitione præmissa profiteris; publici demum boni, pacisque desiderio teneri ais, non vt simultate, maleuolentiave quemquam impetas, sed vt ex hac tua admonitione, & Germanica Respublica, & Christianus orbis vniuersus vtilem fructũ percipiat, ipsi etiam Deo (si Deo placet) gloriosam operam præstes. Hæc certè, Vvaramunde, cũ Christiani animi non obscura sint documenta, nemo interim succensere tibi iure potest: tecum profecto hactenus sentimus, eadem probamus, parem hucusq; causam tuemur.

Igitur periclitemur, si placet, an tam præclaris, magnificisque pollicitationibus, quibus magnam de te opinio-

nem

nem cōcitasti, nos vero optima spe imbuisti, stes, Vvaramunde. Agedum, admonitionis initium aggrediamur. *Nequeo satis mirari (ais) quid hoc tempore Gregorium xiij. commoue rit, vt scriptū huiusmodi hac inscriptione oculis Germaniæ obtruderet, Gregorius Episcopus seruus seruorū Dei. Ad perpetuā rei memoriā. Nam hoc inscriptionū genus ab illis solet vsurpari, qui aut veteres sunt domini ex Ciuili iure, aut iure gentium. Ciuili iure quis verè Germanus annuat Gregorium in Germania libera, imperiū obtinere? Iure gentium si dixerit quisquam, victorias non video, & illud magis auditum est post omnem hominum memoriam Romam, Italiamq; à Germanis fuisse victā, quàm ab Italis aut Romanis ipsis Germaniā.* Agnoscis (vt credo) tua ipsa verba, Vvaramunde, quæ quidē cum ego repeto, in ipso te (quod ait[2] Hieronymus) portu impingere video, & nescio quid liuidum ac calumniosum (à qua te maximè suspicione alienum esse nunc profitebare) ipso statim initio facile deprehendo. Quid enim refers? tam cito nè sacrosanctæ huius Romanæ Sedis venerandam dignitatem incessis? tam subito comminus atque eminus nobiscum pugnas? tam repente orthodoxæ fidei stabilitatem a fundamentis euertere contendis? Ea demum ratione, è vestigio (quod dicitur) nullis adhuc rationibus propositis, nullis initijs præhabitis, vllum in Germania imperij ius Pontifici competere negas, quod nec iure ciuili, nec gentium, illud habeat? Verum ego (ne occasionem discedendi ab amico, magis arripuisse quàm inuenisse videar) dissimulabo interim, & te, qui in alium locum disputationem istam differs, melius sentientem præstolabor: si tamen illud prius obiter admoneam, non satis integram (vt iudico) iuris partitionem à te fuisse propositam. Nec enim, Leonharte, ciuili tantum vel gētium instituto, imperium in Germania vestra Pontifici Maximo Romano competere potest; Sunt enim nobis, qui Christum profitemur, qui Dei gratia inter Catholicos annumeramur, præter humanas, cælestes leges, sunt diuina decreta, sunt supernæ voluntatis præscripta. Ex

2. In Apolog. 2. aduersus Ruffinum & ad Pammach.

his certè non in Germania tantum, ſed in toto orbe, non in corporalibus ſolum caducíſque rebus, ſed in ſpiritualibus & æternis auctoritas Gregorio xiij. data eſt. Id ergò te ut præclarum iuriſconſultum intelligere, vt pium & orthodoxum hominem agnoſcere oportebat. Laberis igitur primis iſtis tuæ admonitionis verbis errore duplici, iuris videlicet ignoratione, qui humanum tantum eſſe probas, nec diuino vllum locum relinquis; impietatis ſecundo capite meritò notandus, qui Pontificiam dignitatem, qua nihil ſanctius, nihil eſt inter homines auguſtius, impiè laceſſis.

His tertio loco ſucceſſit & alia homine docto ac liberali indigna quidem inſcitia; Vt enim ex iure gentiũ Imperium Pontificis à Germania quàm longiſsimè arceas, poſt omnem hominum memoriam prædicas, Italiã certè à Germanis victam, at numquam ab Italis Germaniam. Quo ego te loco (ſic de Græcia ille narrat) audacem plus æquo in Hiſtoria eſſe, non immerito iudicem; nam vt multos earum gentium à quibus Germani putãtur oriundi, in Europam, atq; adeo in Italiam ipſam incurſus non negemus, fatebere tu item vel inuitus inſigneis, memorabileiſq; victorias, quas de Germania Roma adepta eſt. Extat profectò huiuſcè rei nõ vnicum monumẽtum in Imperialibus Romanorum Principum conſtitutionibus & elogijs, quibus Germaniæ deuictæ titulus frequenter accedit; Ad forum Iulij Cimbros à Mario & Catulo omnino deletos eſſe auctores ſunt Hiſtorici; Armis Druſi Neronis & Germanici ſub Auguſto ac Tyberio ſuis in ſedibus obruti ſunt Germani veteres, vt ſcripſit Tacitus: Ariouiſtus Germanorum Rex, auctore Zonara 80000. cæſis à Cęſare prope Rhenum profligatus eſt; Denique Germanicum titulum inter Imperatorios retulit Herodianus; tantum abeſt vt poſt omnem hominum memoriam nulla reperiatur iſtius rei mentio. At

iſthæc

isthæc (fateor) & puerilia sunt, & abs re prorsus, nec hic vllo modo inserēda essent, nisi cum his ageretur, qui quo iure, quaque iniuria aliorū omnia notant ac criminātur.

Responsio ad Vuaramundum obijcientem Gregorio xiij. Pontifici Maximo, quòd se appellet seruum seruorum Dei: redditur eiusdē inscriptionis ratio, & explicatur illius antiquitas.

Cap. II.



EQVITVR igitur quod ait: *Sed tamen Gregorius ius illud diuinum abdicat* istius procacissimis impudentijs, blasphemijsque nefarijs & impijs referendis abstinebo semper) *cum sese nominat seruum seruorum Dei: nam ista appellatione Spiritus Dei nunquam in scripturis vsus est, nisi vt maledictissimam abiectionem demonstraret, cum apud Mosen, inquit, Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis.* Quotusquisque, obsecro, cordatorum est, qui absque offensione audiat Vvaramundum tam insulsè, ne dicam malignè ac liuide iam ratiocinantem? sic scilicet virum indifferendi facultate peritissimum (talem enim se non semel profitetur) palàm est, argumentari. *Chanaam seruus seruorum fratribus suis maledictus est: Gregorius ergo seruus seruorum Dei maledictus est.* Pulchra nimirum collectio, & Vvaramundo digna. At certè, cui mirum est, cur in mentem non veniat, quam intersit inter seruū seruorum fratribus Chanaam, & seruum seruorum Dei. Illud (vt sacra testatur Historia) in delicti pœnam impij filij posteritati imprecatus est Noemus [1], maledictissimam 1 Gen. 9.

vti

vti ait, abiectionem demonstrans; hoc autem tãquam augustißimum elogium, atque illustrißimum stemma, vsurparunt sancti viri, habuerũt Apostoli: quinimo Saluator ipse noster, ceu clarißimo apposito, illo insigniri non recusauit. At callidè tu quidem (agnoscimus) Vvaramũde, agis ipso statim tuę admonitionis exordio. Etenim Cham impudentem patris derisorem typum hæreticorum gessisse, post splendidißimum illud Ecclesiæ lumen Irenęũ [1] præclare nos docuit Augustinus [2]: *Cham porrò* (ait) *qui interpretatur callidus, quid significat, nisi Hæreticorum genus callidum, non spiritu sapientiæ, sed spiritu versipellis astutiæ, quo solent hæreticorum feruere præcordia & pacem perturbare sanctorum?* Quæ eadem Augustini verba transcripsit Eucherius Lugdunẽsis antiquus & percelebris auctor lib. 2. in Genesim cap. 2. Tu (inquam) versutè quidem facis, qui antiquißimam istam vestram adumbrationem & figuram, in Pontificem Romanum reijcis, atque huius sacrosanctæ Sedis peculiarem appellationem fœdare & deturpare moliris, dum illustrem & diuinam denominationem, cum infami atque abiectißima nota confundis.

1 Lib. 4. contra hæreses c. 50.
2 Lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 2.

Verum vt rectius atque altius illius vim & significationem percipias, multa esse seruorũ Dei genera ex scriptura sacra, & antiquißimorum Patrum piè ac Catholicè sentientium doctrina, iam disce. Vt enim alia omittamus, quæ ad rem, de qua agimus, nimis spectant, vnum illud sacri auctores diuinæ seruitutis genus esse nos docent, cum quis propter peculiarem aliquam administrationem, siue muneris functionem in domo Domini, seruus Dei appellatur. *Sũt plures* (Latinè ait Chrysostomus [3]) *seruitutis modi, alius per creationem, alius a fide, alius ab administratione.* Nec enim eo loco iuxta sensum Chrysostomi vertit Germanus interpres, vocem πολιτείᾳ, *vita & moribus*, quemadmodum confirmat vel Theophylacti [4] ab eodem Chrysostomo ferè exscripta sentẽtia; citat enim & Chry-

3 In epistolã Pau. ad Rom. c. 1.
4 In epistolã Pau. ad Rom. c. 1.

Chrysostomus & Theophylactus Iosuę locũ illũ, in quo Dominus [4] Moysem seruum suum vocat. Nam quamuis 4 Ios.cap.1.
Iudæi omnes, serui essent Domini, atque adeo gens illa Dei populus & esset, & appellaretur, sed præcipuè Moses domestica quadam seruitute, Dei seruus censebatur. Qua quidem de causa nihil in diuinis literis ita asſiduũ est, nihil tam commune, quàm seruos Dei vocari eos omnes, qui aliquo ministerio aut munere Ecclesiæ Dei inseruiunt, veluti Apostolos, Prophetas, verbi diuini nuncios & interpretes, quibus commissum est Euangelij ministeriũ. 1. ad Corinth. 4. 2. ad Timoth. 2. Huc enim spectãt seruorum omnes illæ euangelicæ collationes apud Matthæum 21. 22. Luc. 14. de quibus locutus Gregorius Magnus (vt alios omittamus) *Sed quis per hunc seruum* (ait) *qui à Patrefamilias ad inuitandum mittitur, nisi prædicatorum ordo designatur? Seruus enim sum summi Patrisfamilias, cum vos admoneo ad contemptum sæculi, inuitare vos venio ad cœnam Domini.*

Iam cum hoc ex sacris literis manifestum sit, non minus etiam ex eisdem sacrarum literarum fontibus liquidò constat, Christum, dum in mundo fuit, & qua ex parte homo erat, seruorum Dei numero debuisse adscribi. Tota enim illius vita, omnis illius actio, vt quę nostra futura erat institutio, satis docuit Seruatorem illũ mundi, prędicatione, miraculis, laboribus, cruce, morte, resurrectione, sacramentorum institutione æterno Patri suo sedulò inseruisse, atque omnia isthæc operatum esse, ad æternam seruorum Dei, idest hominum salutem, vtque ipsos lucrifaceret. Nec enim aliò referenda sunt Pauli verba illa, in epistola ad Hebræos [2], *Considerate Apostolum* 2 cap.3.
& Pontificem confeßionis nostræ Iesum. Apostolum autem Christum vocat, idest, ad Israeliticum populum (dicam verbis Anselmi) prærogatiuè missum. Subiungit verò Paulus Christum cum Mose iuxta ea, quæ superius adnotata sunt, conferens: *Qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut*

3 Num. 12. *cut Moses fidelis in omni domo illius*. Atque infra. *Et Moses* [3] *quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus*. Hoc enim loco etsi dignitatem Christi atque adeo legis Euangelicę, Moysi, & veteri legi prætulerit Apostolus, docet nihilominus Christũ tanquã filium & hæredẽ Dei, fuisse paternæ hæreditatis sedulũ dispensatorem, & ministrum fidelem; *Fidelem*, inquam, quod germanum est, atque in diuinis literis frequens, sacrorum ministrorum, & horum de quibus loquimur, seruorum Dei epitheton: sic enim Mosem *fidelissimum* seruum vocauit Dominus, in eo loco, ad quem allusit Paulus; sic ille Epaphram Colossensium Apostolum fidelem mini-
2 cap. 1. strum appellat, *Qui* [2] *est* (inquit) *fidelis minister pro vobis Chri-*
3 cap. 6. *sti Iesu*: Sic de Tychico, quẽ ad Ephesios miserat, *Nota* [3] *faciet hæc vobis* (inquit) *Tychicus charissimus frater & fidelis minister in Domino*. sic apud Matth. 24. 25. Lucæ 16. 12. & alibi frequenter serui Dei & ministri euangelici, *Fideles*, (quemadmodum Christum appellat Paulus) cognominantur. Demum (vt paucis dicam) in cæna illa nouissima ante sacrosanctum Iesu Saluatoris nostri agonem, an nõ ille ad hoc seruitutis diuinæ opus, quasi hæreditario iure teneri voluit suos? Quid, rogo, aliud sonant in ea mirificis affectibus efferuescẽte oratione, qua vale dixit discipu-
4 Ioan. 13. lis, verba illa? *Si ego* [4] *laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes; Amen amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo, nec Apostolus maior eo qui misit illum*. Hinc enim illud est, quod se tanquam hæredem Christi seruitutis istius debitorem agnouit Apostolus ad Ro-
5 cap. 1. ma. scribẽs, dum ait [5], *Nolo vos ignorare, fratres, quod sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc, vt aliquem fructũ habeam in vobis, sicut & in cæteris gẽtibus: Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est, & vobis, qui Romæ estis, euangelizare*, quasi dixerit, nihil aliud cu-

randum

randum ſibi eſſe aſsiduis laboribus, nocturnis diurniſq; ſollicitudinibus, niſi vt reliqui in gratia & beneuolentia cum Deo eſſe poſsint. Et ſicut cæteris fidelibus, miniſterij & ſeruitutis iſtius debitor eſt, ita etiam Romanis idem officium exhibere deſiderat: atque vt Theodoreti eo loco vtamur verbis, *Seruire Deo dum filij eius Euangelium Gentibus præbet, et illis inſeruit.* Quid? quòd non ſolum ſeruum Chriſti ſe eſſe profitetur Apoſtolus, verum & iſtud parum quid ducẽs, vinctum ſe ſępius appellitat; *Paulus* (inquit ad Philemonem ſcribens) *vinctus Chriſti Ieſu, obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Oneſimo, quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Euangelij.* Vincula etenim euangelij licet illa intelligantur, quibus corporaliter vinciebatur Paulus, tamen interpretari non abſurdè poſſumus Apoſtolatus munera, verbi Dei prædicationem, teſtimonium Chriſti; in his enim omnibus cum ille non ſemel gloriatus eſſet, etiam non erubeſcere Timotheum ſuum adhortatur, ſed exuto ſpiritu timoris, virtutem, dilectionem, ac ſobrietatem induere. *Noli*[2] (ait) *erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, nec me vinctum eius, ſed collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei*; atque alibi de diſpenſatione gratię Dei locutus, qua præ cęteris Apoſtolis datum eſt illi, vt euangelizaret Gẽtibus[3]. *Huius rei gratia* (inquit) *ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu pro vobis Gentibus,* Et paulo poſt; *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino.* Porro autem in re copioſiſsima, ſit ſatis teſtem citare Gregorium[4] illum verè Maximum cognomento Theologum, apud quem ad hoc de quo agimus, mirè expreſſus eſt Paulus. Illius enim impẽſum exhibendæ ſeruitutis huius ardorem, luculentum charitatis ignem, nimium & quaſi intemperans deſiderium, quo optabat alienatum & diſtractũ ſe eſſe à Chriſto ſuo, & in laboribus, in naufragijs, in carcere, in concilijs, in martyrio maledici, ideſt derelinqui, & à Deo ad hæc mala quaſi adigi & voueri, *audaciam* vocat. Gregorij

2 2. ad Timoth. 2.

3 ad Epheſ. 3. & 4.

4 In orat. 1 Apolog.

vero ſcholiaſtes Elias, *An non* (ſubiungit) *ingentis audaciæ eſt, quod ſe ipſum ipſe à Chriſto abalienari optet?* atque addit, *Siquidem hac ratione fieri poſſit, vt illi in locum ſuum inducantur, et ipſe tanquam impius & conſceleratus à Chriſto remoueatur, dummodo illi ſalutem accipiant.*

Cæterorum omnium Apoſtolorũ documento poſſemus hoc ipſum confirmare, quorum variæ in mundum vniuerſum à Iudæa vſque ad extremas terrarum oras, peregrinationes ſatis ſuperque docent, illos ſeruitutis iſtius debitum officium præſtitiſſe; in quorum item ſcriptis plurima in hanc rem extant monimenta. Nec enim illis (vt rectè explicuit Anſelmus) ſancto Spiritu afflatis diuerſis idiomatibus & intelligere, & loqui datum eſt, niſi vt huius prædicationis Euangelicæ aptiores miniſtri

2 In Epiſto- ad Rom. c.2.

redderentur. At operæpretium profecto eſt Anſelmum [2] ipsũ audire, *Quomodo* (inquit) *his omnibus eſt debitor* (de Paulo loquitur) *qui nihil ab eis accepit, niſi quia per gratiã ſancti Spiritus ei cõceſſum eſt, vt omnium iſtorum linguis loqui noſcet?* addit, *Namq; linguarum notitiam non pro ſe quis, ſed pro his, quibus prædicandũ eſt, accepit, debitor omnibus illis efficitur, quorum accepit à Deo linguæ notitiam.* Cũ Anſelmo ſenſerat iam olim Chryſoſtomus, qui

3 cap.10.

explicans illud Marci [3]. *Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter. Principes autẽ Eccleſiæ fiunt* (ait) *vt ſeruiant minoribus ſuis, & miniſtrent quæcunque acceperunt à Chriſto.* Denique (vt pauca ex multis adferamus) hoc idem agnouerunt Pontifices ipſi noſtri; Gregorius enim primus Ruſticanæ ſcribens, *Ego* (ait) *per Epiſcopatus onera omnium ſeruus factus ſum.* Et inter recentiores Innocentius tertius in epiſtola ad Metenſes: *Cum ex iniuncto nobis Apoſtolatus officio* (inquit) *ſimus ſecundum Apoſtolum ſapientibus & inſipientibus debitores.*

Cum igitur idem ſit, vt planè conſtat, ſeruũ eſſe Chriſti, & Apoſtolum, Euangeliſtam, Epiſcopum, Doctorem; hinc conſequens eſt, vt Romanus Pontifex Seruus Ser-

uorum Dei iure optimo inscribatur; ac si dicas, Aposto lorum Apostolus, Euangelizantium Euangelista, Episco porum Episcopus, Doctorum Doctor, Pater [2] Patrum; ipse enim vnus docentes docet, illuminantes illuminat, confirmantes confirmat, atque vt Bernardus ait, *Habent alij sibi assignatos greges singuli singulos, Pontifici Romano vniuersi crediti, vni vnus, nec modo ouium, sed et Pastorũ vnus omnium Pastor. Cui enim Episcoporum, aut Apostolorum etiam, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas, Petre, pasce oues [3] meas.* Leo magnus ad Episcopos per Viennensem Prouinciã constitutos, cum de hac eadem Euangelica prædicatione loquatur [4], *Sed huius muneris* (inquit) *sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodã capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Est itaque Romanus Pontifex seruus ille fidelis ac prudens, quem Dominus super cæteros omnes seruos suos seruum constituit [5]. Ita enim interpretatus est Chrysostomus, [6] *Qua nam de causa* (ait) *idem ille sanguinem effudit suum? certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat. Iure igitur sic loquebatur Christus; Quis nam fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*

2 Orientales Episcopi in epistola ad Agapetum in 5. synodo act. 1.

3 Ioan. 17.

4 Epist. 89.

5 Luc. 12.

6 lib. 2. de sacerdot.

Vides ne iam, Vvaramunde, quam magnificam & illustrem epigraphen istam duxerint sancti Patres, Christi Apostoli, Saluator ipse noster? quam tu tamen in Gregorio xiij. Petri Apostolorum Principis successore, Vicario Christi, cõdemnas & irrides? Facit igitur suo more, facit suo iure sacrosancta hęc Romana Sedes, diuinę huius seruitutis & Euangelicæ prædicationis hæres vnica & sua, *cui totam doctrinã beati Apostoli* (vt Hieronymus [7] prædicat) *cum sanguine suo profuderunt. Quæ ab eisdem gloriosissimis Apostolis* (vt auctor est Irinæus [8]) *habet traditionem & annunciatam ab hominibus fidem.* si eiusdem huius annunciatę sibi doctrinæ, traditionis, ac fidei munera præ cæteris obit, functiones

7 lib. de præscript.

8 lib. 3. c. 3. aduersus hæreses.

exequitur, cælestis seruitutis, seruis Dei, idest conseruis & comministris officia præstat, ac mutuas operas impendet; Gregorius vero xiij qui vnicum est atque supremum eiusdem Catholicæ Ecclesiæ caput, tanquam illustrissimum elogium habet, Serui Seruorum Dei appellationem.

Adde singularem aliam nec minus Apostolicam, quam omnibus notam huius appellationis causam, nempè vt Romani Pontifices veros se exhibeant Christi, cuius vices gerunt, imitatores & discipulos. Humilis fuit
2 Matth. 11. corde præceptor ille noster, vt ipse de se testatus [2] est; cur igitur primi illius Pōtificis Maximi atq; Optimi, Pōtifices nostri vestigijs non inhæreant? cur se totos ad il-
3 1. ad Corinth. 4. lius normam non efforment? Sic vtique [3] Romanum Pontificem existimari oportet, vt ministrum Christi & di-
4 ad Ro. 1. spensatorem mysteriorum Dei, & vt Theodoretus [4] ait de Paulo loquens, *Imperatores quidem & principes dignitatum suarū nomina suis scriptis præponāt, supercilia attollentes, & propter auctoritatem magnos spiritus excitantes, & de se magnificè ac præclarè sentientes, Diuus autem Apostolus se abortiuum nominet, se primum peccatorem appellet, & se Apostolatu indignum esse dicat.* Didymus Alexandrinus Hieronymi præceptor in enarratione ad Epistolam Canonicam Iacobi, *Sicut mortalem gloriam* (ait) *homines appetentes in suis conscriptionibus dignitates quas putant habere præponunt; ita sancti viri in Epistolis, quas scribunt ad Ecclesias, principaliter proferunt seruos esse Domini nostri Iesu Christi, æstimantes hanc appellationem supra regna totius mundi consistere.* Neq; enim alia ratione monebat Hieronymus Damasum Romanum Pontificem, vt recederet à Romano culmine ambitio, nisi quòd in illo Petri piscatoris sederet successor. Demū inter egregia multa humilitatis Christianæ documenta ab hac sacrosancta sede exhibita, illud vnum fuit, (quicquid vanè in illum locum calūniētur hæretici) quod Oecumenici cognomen iure optimo

mo Romanis Pontificibus debitum, & in Chalcedonẽsi Synodo delatum repudiauit olim [2]; quod & Gregorius primus postmodùm respuit ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum scribens, dum ait [3]. *In præfatione Epistolæ quam ad me ipsum, qui prohibui, direxistis superbæ appellationis verbum, vniuersalem Papam dicentes, imprimere curastis.*

2 S. Thom. cõtra Græcos & Leo ix. in epist. ad Micha. Constant. Archiep.

3 lib. 7. epistola. 30. & apud Gratia. d. 99. cap. vlti.

Cæterum, ne reputes nomen istud quasi insolens, præter consuetudinem, aut nouè effictum à Gregorio xiij Pontifice Maximo, audi Damasum primum [4], qui quidem ante annum ducentesimũ vicesimũ supra millesimum in epist. ad Stephanum Archiepiscopum & tria Africana Concilia illo vsus est, *Damasus* (inquit) *Seruus Seruorum Dei, atque per gratiam eius Episcopus sanctæ Catholicæ Vrbis Romæ.* Diuus Augustinus [6] eiusdem ferè seculi scriptor ad Vitalẽ Carthaginensem, *Augustinus* (ait) *seruus seruorum Dei.* idem [7] ad Probam viduam, *Augustinus Episcopus seruus Christi, seruorumque Christi famulus Probæ in Domino Dominorũ salutem, &c.* Beatus Fulgentius Afer Ruspens. Episcopus, qui sub Anastasio vixit, ad Gallam de statu viduali, *Dominæ vere illustri & in Christi timore venerabili filiæ Gallæ, seruorum Christi famulus.* Idem ad Probam, ad Venantiam, ad Eugippium Abbatem, ad Theodorum Senatorem hoc titulo perpetuò vtitur; Paulinus Aquileiensis Præsul aduersus Felicem Vrgelitanum, & Eliphandum Toletanum scribens, *Quapropter* (ait) *ego Paulinus licet indignus peccator omniumque seruorum Domini vltimus seruus.* Demũ post hos Gregorius ille verè Magnus huius nominis primus, ad reprimendam, vt auctor est Ioannes [8] Diaconus, Cyriaci & Ioannis Constantinop. insolentiam, insigne istud cognomen maximè habuit peculiare, illud deinceps reliqui Romani Pontifices frequentius vsurparunt. Nec enim, vt ex Damaso docuimus, ab ipso Gregorio primo titulus iste incepit primum, estque verissimum quod Eusebius Emissenus (si modo is Eusebius censendus sit) ducentis quin-

4 1. Tom. cõcil. pag. 462. Sur. edit.

6 Epist. 107

7 Epist. 121.

8 In eius vita lib. 2. c. 1.

quinquaginta annis antiquior Gregorio, sic ait in Homilia Dominicæ xxj post Pentecosten: *Romanus Episcopus Episcoporum omnium maximus, Seruus Seruorum Dei in suis epistolis se esse scribit.* sed & Bonifacius [2] Episcopus (vt vltimo loco domesticus testis accedat) qui Gregorijs ij. & iij. Pontificibus, in Germania vestra verbum salutis prædicauit,[8] & gentem illam sedentem adhuc in tenebris illuminauit, ad Zachariam Rom. Pont. scribens, Seruum Seruorũ Dei se vocat. Hæc itaque nobilissima appellatio, quæ & rationibus & exemplis comprobata est hactenus, ita iã Romanis Pontificibus vsu venit, vt continua diutinaquè consuetudine ac stylo firmata, inter solemnia Bullarum Apostolicarum verba meritò annumeretur. Si enim Põtificium rescriptum illa careat, falsitatis suspicionem minimè declinabit, vt verè docent omnes Canonici iuris [3] interpretes; tam est peculiare & proprium Pontifici Romano maximo & summo, Seruũ Seruorũ Dei appellari.

2 Tom. 2. conc. pag. 34.

8 cap. antecessor cap. quod prædecessor 11. q. 1.

3 cap. quam graui de crimine falsi, cap por recta de confir. vti. vel inutil.

Omittimus innumera alia Christianæ humilitatis epitheta à sanctis Patribus non rarò vsurpari solita, vt est illud Agapeti qui se *minimum Diaconũ* vocat, Isidorus Hispalensis [4] *mercatum seruum Christi* se appellat, alij *peccatores* se inscribunt, alij *indignos*, alij *exiguos* se nominant. Horum vnus celebris certè memoriæ monachus Simeones Stilites, de quo tam multa & Theodoreti Θεοφιλὴς, [5] & Euagrij historia [6] ad Basilium scribens ait, *Domino meo pijssimo & sanctissimo Dei amanti Basilio Archiepiscopo, peccator & humilis Simeones in Domino salutem:* & post pauca, *Proinde & ego humilis, & tenuis, atque adeo abortiuus monachus, &c.* Nicephoro auctore hist. Eccles. lib. 15. cap. 19.

4 In chronico M. S. in Bibliot. Vaticana.

5 cap. 26.

6 lib. 1. cap. 13. & 14. & lib. 6. cap. 22.

Iam siquis humilibus hisce titulis, tanquam deiecti demissiquè animi notis, Christianæ fidei propugnationem, orthodoxæ religionis zelum, Apostolicæ huius sacrosanctæ Sedis dignitatem & amplitudinem intermitti, imminui, aut aliquo modo deijci existimauerit, audiat

diat is vnum aut alterũ (paucis enim innumera perstringere oportet) testimonium. *Ego minimus & peccator* (Innocētius primus ait, Eudoxiam [2] & Archadiũ Imperatorem anathemate plectens) *cui thronus magni Petri creditus est, segrego te & illam à perceptione immaculatorũ mysteriorum Dei nostri.* Gregorius [3] Magnus, *Ego* (inquit) *cunctorum sacerdotum seruus sum in quantum ipsi sacerdotaliter viuunt. Nam qui contra omnipotentem Deum per inanis gloriæ tumorem atque contra statuta Patrum suam ceruicem erigit, in omnipotente Domino confido quia meam sibi nec cum gladijs flectet.* Ex his igitur quę obiter attigimus, facilè animaduertet maleuola hæreticorum mens, in Pontificibus Romanis humilitatem, subiectionem, Christianique animi demissionem inueniri, sed quam maxima dignitas, amplitudo summa, regius splendor comitatur. Tu etiam, Vvaramunde, interim agnosces qua maximè de causa ab hac Catholica Romana Sede præclara hæc inscriptio peculiariter vsurpetur; quam vtique damnabit nemo, nisi qui superbus & arrogans sit abominatio [2] Domino, qui terrenus [3] & animalis totus nõ percipiat ea quæ sunt spiritus Dei.

2. Niceph. lib. 13. cap. 34.

3. lib. 4. episto. 37. & refertur à Ioan. Dia. in illius vita.

2. Prouerb. cap. 16.

3. 1. ad Corinth. 2.

Responsio ad vanas Vvaramundi calumnias, Gregorium xiij. Italum esse, & Romæ sedere, ac proinde nec debere, nec posse exterarum nationum causas vt Iudicem cognoscere; Iuris Canonici Doctorem esse; Fidem dedisse Eccl. Rom. & non Germaniæ; Andreæ Card. Austriaco Coloniensis causæ cognitionem mandasse. Cap. III.



EQVVNTVR prædictam obiectionem aliæ æquè piæ ac ingeniosæ; Subiungis enim, *Gregorius est Bononiensis, in Italia natus, non in Germania, ac propterea*

pterea res Germaniæ non curans naturali ſtudio; Deinde, Gregorius eſt Romæ ſedens, ac proinde res Germaniæ amplius non videns quàm per corycæos præterea Gregorius eſt Doctor Iuris Canonici, quo iure diuinum & ciuile quam multis paginis infringitur: Deinde Gregorius Papa Romanus eſt, qui fidem Eccleſiæ Romanæ dedit, at non Germaniæ.

Prioribus illis duabus obiectionibus quòd Italus, & Romæ ſedens Pontifex ſit, quis rogo ſic prodigè & ſuo & lectoris abuſus otio, velit ſatisfacere? Similem calumniam, ſcimus, Ebionitas iam olim Paulo Apoſtolo obiectaſſe, Tarſenſem enim eſſe contumeliæ cauſa, hinc alia vanè confingentes, dictitabant, vt auctor eſt Epiphanius, qui illorum maleuolos & iniquos ſermones eleganter exturbat. Nec enim inficiamur Italum eſſe Gregorium xiij & Romæ ſedere, vt obijcit Vvaramundus; id namque qua ratione, quo nomine aut fine celari debeat? At profectò (niſi Orthodoxorum falſa eſt ſententia) Petro Apoſtolorum Principi in Galilæa nato, non Galilææ ſolius vel vnius tantum prouinciæ, ſed vniuerſi orbis cura, quam ille multis annis feliciſſimè ſuſtinuit, à Saluatore [2] noſtro demandata eſt. Poſt hunc Clemens Romanus in eadem catholica Sede eodemque munere Petri ſucceſſor Epiſcopis [3] omnibus per totum terrarum Orbem diſperſis, normam Sacerdotij Romæ degens præſcripſit, quam illi libenter ſuſceperunt, Hieroſolymitanis [4] de communi vita præſcripta dedit, quæ illi admiſerunt. Atquè vt in meraciſſima calumnia immoremur minus, quis vſquam (quæſo) iſto à te recèns excogitato delirio Romanorum Pontificum iudicium hactenus declinauit? Quam Chriſtiani orbis gentem conſtitues, quam regionem (ſi modo illi Euangelica lux affulſit vnquam) demonſtrabis, quæ ſacroſanctæ Romanæ Sedis auctoritatem iſto titulo detrectarit? Ex omnibus ſiquidem quantumuis longè latèque diſtantibus mundi partibus, euocatę ſunt ſemper ad hoc vniuerſalis Eccleſiæ tribunal cæterarum omnium Eccleſiarum cauſæ.

2. Ioan. vlti. Matth. 16.
3. epiſto. 3. 11. q. 3. c. ſi autem vobis.
4. Epiſto. 5. 12. q. 1. c. dilectiſsimis.

causæ: Vt enim à nostris idest Europæis his finibus ordiamur, occidentales omnes causas, Gallicas videlicet, Italicas, Hispanicas, Anglicas, Scoticas, Hybernicas, Germanicas, Gotthicas, Sarmaticas Romæ cognosci solitas manifestè docet Hieronymus ad Eustochium, qui hasce omnes Ecclesias ob quasdam dissensiones Romam contractas, & euocatas fuisse scribit; quod etiam & Bernardi [2] epistolæ complures ostendunt, & ex omnibus illis decretis planè colligitur, quæ Gratianus allegat dist. 19. 20. 21. Quod tamen facilius (nisi fallor) impetrabimus ab Vuaramundo; cum enim in Occidēte τὸν πρῶτον εἶ) πάντων τῶν ἱερέων Romanum Episcopum, vel nostri æui sectariorum [3] antesignani negare nō audeant, eidem positioni dissentaneum non est, vt etiam admittant occidentalium causarum cognititionem ad ipsum Romanum Episcopum pertinere. De orientalibus autem Ecclesijs idem omnino probandum est auctore [4] Basilio, qui quidem Romanum Pontificem impensè rogat, vt orientales res consideret, iudicij sui decretum interponat, & sua auctoritate vsus Orientem visitet. De quibus etiam orientalibus causis ait Socrates [5] in historia; *Quoniam Ecclesia Romana priuilegium præter cæteras obtinet*, atque (adijcit [6] Sozomenus) *propter Sedis dignitatem, cura omnium ad ipsum Iulium spectabat*. Eiusdem rei apud Theodoretum lib. 5. cap. 33. Nicepho. lib. 13. cap. 15. 16. 18. 31. 32. 33. 34. luculentissima extant testimonia. Igitur vt ad Austrum conuertamur: An non totius Numidiæ ad Mileuitanum [2] Concilium coacti Patres ab Innocentio Romæ sedente assiduis precibus contendunt, vt Cælestij in Asia constituti, Pelagij Hierosolymis agentis causam cognoscat, pastoralem diligentiam adhibeat, & sua auctoritate coerceat? An non Synodus item Africana Carthagine habita eorundem hæreticorum causas Romani Pontificis iudicio ter-

2. epist. 125. 126. 130. 131. 136. 138. 183. 190.

3. Calui. insti. lib. 4. c. 6. Buccer. in præpar. ad Conci. Molin. lib. de stat. primit. Eccle.

4. epist. 52.

5. lib. 2. cap. 11.

6. lib. 3. cap. 7.

2. Tom. 1. conc. pag. 554. Sur. edit.

3.Aug.ep. 90. minandas relinquit? [3]. Demum omiſſis omnibus illis Gratianę collectionis decretis IX.quæſt.3. quæ ad hunc locum maximè pertinent, videamus nunc quid in hac, in qua verſamur, controuerſia ſtatuendum decreuerit Sardicenſe illud celeberrimum Concilium, antiquiſſimum quidem, vt quod ſtatim poſt Nicęnum celebratum

4.lib.2.hiſt. 5.lib.2.c.16 eſt, generale, vt docent Sulpitius [4] & Socrates [5], frequentiſſimum, vt in quo pluſquam 300. Epiſcopos Catholicos fuiſſe ex 35.Orbis Prouincijs teſtatur Athana-

6.in princi. 2.Apolog. ſius [6], nempè Ægypto, Libya, Pentapoli, Palęſtina, Iſauria, Cypro, Pāphilia, Lycia, Galatia, Dacia, Myſia, Thracia, Dardania, Macedonia, Epiro, Theſſalia, Achaia, Creta, Dalmatia, Sciſsia, Pannonijs, Norico, Italia, Piceno, Thuſcia, Campania, Calabria, Apulia, Brutijs, Sicilia, Africa vniuerſa, Sardinia, Hiſpanijs, Gallijs, Britannijs, Canone (inquam) quarto iſtius magni Conci-

2.tom.1.pagi.410. lij ſic proponitur ab Oſio [2] Cordubenſi Epiſcopo, *Oſius Epiſcopus dixit; Quod ſi aliquis Epiſcopus abiudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum iudicium renouetur, ſi vobis placet ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur vel ab his qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Epiſcopis qui in propinquo morantur Romano Epiſcopo, & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det Iudices: ſi autem probauerit talem cauſam, vt ea non refringantur quæ acta ſunt, quæ decreuerit Romanus Epiſcopus confirmata erunt*. Sed & quinta ſequenti ſanctione ſic habetur: *Gaudentius Epiſcopus dixit: Addendum eſt ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſtis, vt cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamauerit agendum ſibi negotium in vrbe Roma, alter Epiſcopus in eadem cathedra poſt appellationem eius qui videtur eſſe depoſitus omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Romani Epiſcopi determinata*. Et ſeptimo item eiuſdem Concilij decreto, *Oſius Epiſcopus dixit: Placuit autem vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, &*

voluerit

voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur iudicium vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant; quod si is qui rogat, causam suam iterum audiri deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum vt de latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet, & si decreuerit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis iudicent habentes eius auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio, si vero crediderit Episcopos sufficere vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientißimo consilio suo iudicauerit. Ex quibus certè constat iure optimo Athanasium Alexandrinum, Felici ij. Romano Pontifici iam olim scripsisse, *Antiquis* (inquit) *regulis sancitum est, vt quicquid quamuis in remotis, aut in longinquo positis Prouincijs super Episcoporum querelis, aut accusationibus ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset, quam ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum.* Et Gelasius Episcopis omnibus: *Cuncta* (inquit) *per mundum nouit Ecclesia quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, nec quidquam de eius liceat iudicare iudicio.* Quid enim firmius? Quid planius? Quid euidentius? En totius mundi causas Romæ cognosci solitas; En omnes vbique gentium fideles ad hanc Sedem, tanquam ad sacrum asylum in summo rerum discrimine confugisse semper. Nè igitur hæreticorum iniqua & liuida mens Romanum Pontificem criminetur Italum esse, ac Romæ sedere, aut illud certè Theodoreti de se narrare posse vani impostores isti agnoscant; *Romam* (inquit Theodoretus[2] de Arrianis 2.lib.2. hist. cap.4.
Magni Athanasij persecutoribus agens) *tragœdiæ auctores ideo non sunt profecti, quod intelligerent sua mendacia manifestò fore Romæ deprehendenda.*

Verum ad illam alteram criminationem veniamus; ais: *Præterea Gregorius est Doctor iuris Canonici, quo iure & diuinum infringitur, quam multis paginis & ciuile contorquetur.* Huic futilissimo commento, si quis vel leuissimè cordatè sentiat, planè satisfactum esse putet; cum quid sit Canonicum ius, & ex quibus potissimùm constet, doceatur.

ceatur. Enimuero per ius canonicum quid (amabo) aliud vis intelligi Vvaramunde, quam Pontificias regu-
2. c. 1. & 2. dist. 3. las prout ex vocis etymo deduxit Isidorus? 2 Illæ enim cum rectè ducant, nec aliquando aliorsùm trahant, cum regulam rectè viuendi præbeant, quemadmodum verè sunt, ita & vocantur. Hæ autem Canonicæ Constitutiones ex veteris certè & noui Testamẽti testimonijs constant, ex sanctorum Conciliorum decretis componuntur, ex Summorum Pontificum Romanorum sanctionibus processerunt, ex beatissimorum antiquissimorumq; Patrum sententijs decerptæ sunt. Vt verò singula hęc nos (sed vno verbo) persequamur, nullus sanè (quantum iudico) tam erit impius, qui sacrosanctæ vtriusque Legis præscriptis fidem detrahat, nullus tam proteruus atque vanus, qui salutaribus illis præceptis Christiani populi institutionem contineri
2. Ad Rom. cap. 15. neget. *Quæcunque scripta sunt* (ait Apostolus 2) *ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scri-*
3. c. 2. *pturarum spem habeamus.* & ad 3 Timotheum: *Permane* (inquit) *in his quæ didicisti & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, & quod ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura* (addit cum Petro in posteriori Epistola consentiens) *diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Ecce quàm magna iuri Pontificio ex hac parte dignitatis accessio fiat, quod huic firmissimæ basi ac solidissimo fundamento inniti certum
2. cap. 8. est: Adde etiam quam falsum, iure isto, diuinum ius (vt vanè prædicas) infringi, cum (vt Innocentij iij. 2 in Concilio generali Lateranensi verba citem) *ex veteris & noui Testamenti auctoritatibus processerint Canonicæ Sanctiones.*

Iam sacrorum Conciliorum decretis, ijs potissimum quæ quatuor generalibus continentur, (vt de illorum

dignitate

dignitate præclara multorum Patrum omittam testimonia) Gregorius [3] primus parem cum Euangelijs fidem & parem venerationem defert. Vtque ab ipsis humanarum legum fontibus ad hoc idem argumenta deriuemus, Iustinianus [4] Imperator sanctas Ecclesiasticas regulas à sanctis quatuor Cõcilijs expositas & firmatas legum vicem obtinere iubet; quod & Valentinianus [5] & Marcianus Cæsares, rescriptis duobus comprobarunt. Aliorum vero Conciliorum decretis (aut scilicet ijs quæ deinceps sacrosanctæ huius Sedis auctoritate congregata sunt, quæ Oecumenica iure censentur, aut quæ sub Episcopis coacta Diœcesana, Prouincialia, seu Episcopalia dicuntur,) quantum semper detulerint fideles, à multis sic dilucidè explicatum arbitror, vt superuacaneum planè sit in re tritissima lectorem diutius remorari.

3. lib. 1. epistolarũ episto. 24. idé lib. 2. episto. 10. ad Sabinum. Grat. per totam dist. 15 & 16.
4. Nouell. 131. col. 9. l. reddentes. § susci pimus. de summa Trinita. & fid. cath.
5. l. 12. de sacrosan. Ec. l. 8. de Hæret.

Vt igitur iam de Pontificum Romanorum sanctionibus agamus, aduersus quas impia hæreticorum conspirat caterua, quasquè ex omni hominum memoria insani homines delere machinantur; rogemus primum illos, an in Christiana Republica Ecclesiasticam & Ciuilem potestatem à Deo constitutas esse agnoscant? an quod attinet ad propria vniuscuiusque munera obeunda vnam alterius indigere ministerio credant? an earum iura velint distinguere, discernere, limitare, vel omnia potius confundere, perturbare, & ad ciuilem potestatem redigere? Quòd si Ecclesiasticam potestatem admittunt, si discrimina concedunt, (quando in hoc nostra illis sententia necessariò probanda est, nulla enim vsquam gens est nec tam humana atquè docta, nec tam immanis tamque barbara quæ illam reijciat,) si inquam Ecclesiasticam ab seculari potestate distinguunt, qua ratione Ecclesiastici Magistratus, Præsides, & Principes, verè Magistratus, Præsides, & Principes non erunt?

erunt? quo nomine proprijs consentaneisq; suo muneri illos adminiculis spoliabunt? inermes relinquent? Quis illos pro ordine suo instituendo & conseruando leges statuere & decreta sancire posse neget? aut quo pacto ordinatam aliàs Ecclesiasticam Rempublicam mente concipiet, si illius rector & superior potestas huius sit facultatis expers? Eleganter profectò quanta ex isto fallacium magistrorum insomnio sequerentur incommoda, explicat nobis inter alios (relinquam enim plurima passim ab alijs adnotata) Magnus Basilius,[1] & fusè latèque probat sine Ecclesiasticis legibus communionem fidelium in varias voluntates distrahi, & vnumquemque in ea viuere, prout lubet, nulla habita ratione communis boni: Affirmat præterea veram & perfectam obedientiam subditorum in hoc consistere, vt non solum ab absurdis abstineant, sed nec ea, quæ laudabilia sunt, citra superioris sententiam faciant.

1. Sermo 3. asceticorum.

His accedit, Canonicas Sanctiones non recèns adinuentas, aut ambitione & arrogantia Pontificum vanè excogitatas (quemadmodum isti rudi & incauto populo imponere conantur) sed antiquissimas quidem illas esse cum ipsa nascente Ecclesia ortas, cum ipsa coalitas, cum ipsa stabilitas. Plurima siquidem tam ad Christianam πολιτείαν, quàm ad moralem disciplinam pertinentia constituisse Apostolos apertum est: animaduertentes videlicet verum Dei cultum sine certo ordine & εὐταξία, retineri non posse. *Laudo vos* (inquit Paulus [1]) *quod sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*: & iterum ad eosdem, *Gratias autem Deo quod obedistis ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis*. Idem etiam Apostolus, mulierem docere non permisit, vxorem Christianam à viro infideli diuertere vetuit, & circa matrimonium disparis cultus disponens, *Sic in omnibus* (inquit) *Ecclesijs constituo & ordino*: *Quas autem Constitutiones appellamus* (Vlpianus [2] ait)

1. ad Corinth. 11.

2. l. 1. de cōstit. Prin.

illa

illa sunt, quæ præcipiens Imperator legis habent vigorem. Omitto prudens illos quos habemus Apoſtolorum canones, Clementis conſtitutiones, eorumquè Pontificum decreta, qui cum Apoſtolos viderint, audierint, & cum ipſis communicauerint, Apoſtolici meritò appellantur; de quorum ſcriptorum indubitata fide aduerſus iſtos, qui, quod non intelligunt, irrident, quod non ſibi arridet, vanum prædicant, Catholicorum luculentiſſimi extant Commentarij. Qua igitur fronte, quo colore, aut pigmento legum condendarum in Eccleſia auctoritatẽ improbabitis? & ab antiquiſsima, ſolidiſsimaque poſſeſsione tot ſeculis continuata ſacros Pontifices deturbabitis? An forſan quod humanis Principibus aliqua irrogaretur iniuria, apud quos iſtius iuris monopolium conſtituitis? minime vero; illi met ſiquidem eccleſiaſticos Canones tam eſſe antiquos in Eccleſia, quàm obſeruandos non ſemel probarunt: [3] Iuſtinianus Imperator ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcribens: *Hoc autem* (ait) *futurum eſſe credimus* (de optima Chriſtianæ Reipublicæ conſtitutione loquitur) *ſi ſacrarum regularum obſeruatio cuſtodiatur quam iuſti & laudandi & adorandi* αὐτόπται καὶ ὑπηρέται *Dei verbi tradiderunt Apoſtoli, & ſancti Patres cuſtodierunt & explanauerunt*. Quo loco non malè, vt notat Contius (atque hoc obiter aduerſus eoſdem nouatores adnotemus) eiſdem illis verbis αὐτόπται καὶ ὑπηρέται, Imperator eſt vſus, quibus vſus eſt Lucas in præfatione ſui Euãgelij, vt vel ex hoc item conijci poſsit, quàm errant illi, qui Canones Apoſtolorum, de quibus locutus eſt Iuſtinianus, cum Conciliorum Canonibus temerè confundunt. Idem quoque Iuſtinianus ſuas conſtitutiones ad normam & exemplum Eccleſiaſticarum ſcriptas eſſe vult, in l. priuilegia C. de ſacroſanct. Eccle. Pontificum decreta vim legis obtinere iubet, in l. 12. eodem tit. Nouella 83. §. ſi verò eccleſiaſticum. verſi. ſecundum ſa-

3 Nouel. 6. quomodo opor. Epiſcopos.

cras, Nouell. 123. in princip. versic. nam si leges, & Nouell. 131. in principio. Demum silentio haudquaquam prætereundum est barbari cuiusdam principis de Ecclesiasticis Sanctionibus testimonium; Rex enim Gotthicus Athalaricus ad Clerum Ecclesiæ Romanæ scribens

2 lib. 8. episto. 24.

apud Cassiodorum,[2] *Interim (ait) vos, quos iudicia nostra venerantur, Ecclesiasticis viuite institutis.* & deinde, *Mundani coerceantur humano iure, vos verò sanctis moribus obedite*, Non obscurè, videlicet, vel homo barbarus Ecclesiasticos Canones probans. Itaque (vt finiam) si quis vanis istis calumniatoribus plenè satisfactum cupiat, legat tum ea, quæ

3 & apud Grat. per totam dist. 19. & 20.

per neotericos [3] scriptores adnotantur, tum maxime quæ Nicolaus Pontifex primus scribens ad Episcopos per Gallias constitutos tradit. Quo loco Decretalium Epistolarum auctoritatem plurimum commendat, non illarum tantum, quæ sacris Conciliorum Canonibus insertæ reperiuntur, sed quæ aliàs à Sede Apostolica dimanarunt, adductis plurimis argumentis ex sacra Scriptura veteri & noua petitis, atque etiam sancti Leonis primi, & sancti Gelasij Pontificum testimonijs. Sit enim satis pio & diligēti lectori, si has illi vberrimas fontium scaturigines demonstrauerimus.

Postremùm, quantum attinet ad eam iuris Pontificij partem, quæ constat ex sanctorum Patrum sententijs (quando has Gratianus cæteris decretis adiunxit) huius quidem auctoritas (vt dicam in genere) tanta non est, vt æqualem cum his, de quibus diximus, auctoritatem habeat. Quoniam, *Eatenus* (vt ait Claudianus [3] Mamertus scriptor pius & doctus) *diuinarum tractatoribus scripturarum fidē adhiberi par est, quoadusque ijdem tenori veritatis adstipulantur.* Meritò nihilominus cum hæc ex pijssimorum doctissimorumque hominum responsis iam olim decretorum Collector cæteris adiunxerit, siquæ forsan in illis reperiuntur, quæ ad ius positiuum spectent, atque vsu &

3 lib. 1. de statu animæ.

consue

consuetudine firmata sunt, in Christiana Repub. tanquam leges obseruantur, earumquè transgressores puniuntur; Et quamuis lex propriè, aut commune præceptum, vt vocat Papinianus [1] siue generale iussum, vt Atteius Capito appellat, dici non possint illa, quorum auctoribus publica potestas defuit (hanc enim penes Principem aut populum iura constituunt [2]) nec item inter illorum responsa adnumeranda sint, quorum sententiæ aut opiniones κἂ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν vim legis habere voluit Iustinianus [3], illorum putà, quibus permissum fuerat iura condere; Obseruantur tamen ex altero Iuris Ciuilis principio æquè manifesto (libet enim tecum, qui te Iureconsultum profiteris, his agere) hoc est moribus, consuetudine, inueterato vsu, cõmuni consensu constituta, legis habere vigorem; Modestinus [4] lib. 1. regularum: *Ergo omne ius* (ait) *aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmauit consuetudo.* Vlpianus [5], *Diuturna consuetudo pro iure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet.* Iulianus [6] *De quibus causis scriptis legibus non vtimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est. Nam quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis?* Hæ igitur Patrum sententiæ (si quæ sunt quæ iuris quid decernant) in locum auctoritatum Iurisconsultorum veterum successisse meritò dicentur, quæ diuturna consuetudine nõ firmatæ nullam habuerunt vim, & aduersus illas in plerisque dici oportere, & illas euerti sæpè dicendo, & sine defensione oratoris firmas esse non posse, scripsit Cicero. Consensus tamen Principis, aut populi, inueteratus vsus, diuturna consuetudo, ex his rectè ius constituere potuit. Quo fit, vt merito huic etiam Iuris Pontificij parti nomen iuris demus, & vim legis concedamus; cum longus Catholicæ Ecclesiæ vsus, & consuetudo, Romanorum Pontificum (quamuis tacitus & illiteratus) consensus, firma hæc fecerit, & quasi stabilierit,

1 l.1.ff.de ll.

2 l.2.§.codẽ tẽpore. de orig. iur.

3 §. respõsa prudẽtum. inst.de iur. nat.

4 l.40. ff. de ll.

5 l.33. ff. de ll.

6 l.32.ff.de ll.

bilierit. Ita certè colligimus ex Pontificum ipſorum decretis, quorum teſtimonia ad hanc rem Gratianus prolixè [1] citat, vt etiam varijs in locis explicant interpretes noſtri.

1 Per tot. 19. diſt.

Sed nec Latinos Canonum collectores iſtud ſine exemplo tentaſſe admittemus: non enim diſsimile exemplum reperitur apud Græcos, qui ſimilem operam nauarunt. Nam inter Eccleſiaſticos Canones Patrum ſententias ex illorum ſcriptis deſumptas frequenter interſerunt, Baſilij, Dionyſij, Theophili, & aliorum ſcripta non raro adducit Photius, non illa tantum, quæ in Synodo Trullana [2] approbant & obſignant Patres, quo loco de Metropolitanis aliquibus decretis ab his editis (vt opinor) tantum locuti ſunt, ſed alia item, vt Theophili Commentarios, Baſilij epiſtolas, quæ *ſcripta* magis vt vocat Balſamon ſcholiaſtes, quam *Canones* vti Synodus, dici poſſunt. Concludam igitur aduerſus oblatrantes iſtos Tertulliani verbis lib. de corona milit. vbi de conſuetudine, ideſt iure non ſcripto agens, *Porrò* (inquit) *ſi lex ratione conſtat, lex erit omne quod ratione conſtiterit a quocunque productum, nec tam quærendus eſt auctor, quam conſuetudinis auctoritas.*

2 Can. 2. notat Balſ. in Photio tit. 5. cap. 2.

Nec verò negamus plurima olim in Gratiana Eccleſiaſticorum Canonum ſynopſi, aut humanæ fragilitatis vitio, aut quòd eo tempore auctorum non ſic exacta notitia erat, rerum ipſarum minor cognitio, irrepſiſſe quidem, quæ nec pios habebant auctores, nec legi Chriſti conſona videbantur: ſed hæc, dic quæſo nobis, quando in Eccleſia Catholica, cui Romanus præſidet Pontifex, pro veris atque orthodoxis haberi & obſeruari vidiſtis? quando in ſcholis doceri? quando in iudicijs probari? illa certè non tantum pios quoſque offenderunt ſemper, verum eorundem Pontificum, quibus luporum à Grege Domini arcendorum incumbit cura, non ſemel vexarunt & diſtorſerunt animos; Optabant quip-

quippe vti expunctis omnibus, quæ minus decebant, reliqua remanerent pura, Christianisquè auribus digna. Hoc autem à multis antea Pontificibus præmeditatum tentatumquè opus Greg. xiij. P. M. cui iuris huius notitiam improperas, non alijs occupationibus, non laboribus, non sumptibus parcens, doctissimis hominibus vndecunque ad hoc selectis & euocatis, perfecit, absoluit & typis Romæ mandauit. Itaque si in hac Iuris Pontificij partitione, quam nos hactenus breuiter perstrinximus, aliqua contra ciuile ius Vvaramundi calumnia repererit, illa profectò erunt in quibus (vt Innocentius ait) *Sancta Dei Ecclesia mundanis non constringitur legibus*, & de quibus Hieronym. [1] *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi. Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.* Hæc autem ab interpretibus [2] nostris sic diligenter adnotantur, vt ex illis lector plenè haurire posit, quæ ad hanc rem volet.

Quare non video, cur vos sanctis Ecclesiasticis Canonibus & Pontificio iuri tantopere sitis infensi. Ex his enim, quos monstrauimus, fontibus deriuatum est; ex his quæ diximus, principijs ortum: Aut in vna Christiana Repub. improbetis Pontificias leges esse, quod tamen apud omnes vbique nationes, quarum animus, vel leuissimam religionis vmbram insectatur, constitui & obseruari voluit Plato, nisi quòd ab impio & sacrilego Luthero totius rectæ constitutionis vnico perturbatore, sacrorum Canonum contemptum didiceritis. Ille enim vt non tantum scriptis, sed & factis etiam Ecclesiasticas leges proscriberet, totum corpus Canonici iuris publicè comburi iussit, [3] atque Melãcthoni & Caluino antesignanus Christo Saluatori nostro coæterno Patri legum cõdendarum potestatem impiè denegauit, quem tamen (Deo sit gratia) vt impudentem deceptorem atque Vvaldonis, Marsilij, [4] Vvicleph, [5] Hus [6], similiumquè vulgi

1 In epitaph. Fabiolę & ad Oceanũ epis. 3 c.
2 Abb. c. ecelesia S. Mariæ de constit. Imo. c. 2. de reb. eccle. non alien. ĩ 6. Innoc. in c. fi. de prescri. Barto. in l. fi. si contra ius, vel vti. publi. & in l. priuilegia. C. de sacrosã. eccl. Photius in Nomoc. titu. 1. c. 2. & ibi Balsan. Gra. per totã distĩ. 10.
3 ann. 1520. vt scripsit Coclæ. in defens. pacis, vt tradit Pighi⁹.
4 vt patet ex arti. 28. dãnato ses. 8. in Conc. Const.
5 vt patet ex arti. 15. damnato Cõc. Cõst. ses. 15.
6 Vt constat

ex lib. inscripto De dānatione articulorū Io. Hus Mogun. anno 1479. Et Luth. in libro de captiui. Babyl. c. de baptismo, & lib. de liber. Christ. & in explicat. visionis Danielis, quā impugnat Iodoc⁹ lib. 1. Antilutheri, & Roffens. Lutherū Melāct. secutus est in confess. August. art. 20. & Calui. lib. 4. insti. cap. 10. 11. 12.

gi fæcium succedaneum hæreticum damnauit sacrosancta Tridentina Synodus [1], *Siquis* (decernunt Patres) *dixerit Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse, vt Redemptorem, cui fidant; non etiam vt Legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Exprobra igitur nunc tu, Vvaramunde, Gregorio xiij. summo religionis Antistiti religionis huius cognitionē; exprobra maximo & vnico regularum Ecclesiasticarum moderatori harum regularum scientiam, & hac potissimum ratione tuos mone, defectoris à fide, à sacro ordine, ab Episcopatus munere, à debito ministerij officio, causam cognoscere non posse, nec debere, scilicet quod sciat, quid de istorum punitione statuant Ecclesiastici sacri Canones.

Sed sequitur illa altera elegans obiectio: *Gregorius* (inquis) *fidem Ecclesiæ Romanæ dedit, non Germaniæ.* Isthęc autē Vvaramunde, eò potissimum tendunt, quò antiqua consilia vestra semper destinata sunt. Id enim semper egistis, id moliti estis, vt cōtra Spiritus sancti doctrinam, societatem Christi, hoc est Ecclesiam eius sanctam, vnicā, & catholicā, indies in minutissimas partes proscinderetis, & nouis semper dissidijs, quantum in vobis fuit, proscissam dilaceraretis. Hoc scilicet illud est, quod Apostolus cōsulebat Corinthijs dum ait, *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri, obsecro vos fratres per nomē Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadē sentētia.* Vos igitur sacrilega discordia (vt [2] Augustini aduersus Donatistas, Pelagianosquè simili errore deceptos, verba referam,) cæteros omnes alienatos à matre sua Catholica, id est vniuersali, perire maleuolè desideratis. Quod tamen consultò quodam modo à vobis fieri Orthodoxi agnoscimus, & hoc interim cum Hieronymo [3] vobis damus. Cum enim sitis bestiæ lucifugæ (sic apposite istos appellant antiqui [4] Patres,) & male agentes lucem fugiatis, Deus autem lux sit, si cum eo diceretis

1 De iustifi. sess. 6. can. 21.

2 Epist. 120. de gra. noui testam.

3 In cap. 1. Ioan.

4 Athan. ad Epitec. Tertullianus, & Irenæus.

tis aliquam iniſſe ſocietatem, hoc eſt, vt nunc interpreta bamur in Eccleſia Catholica fidei communionem, in tam multis errorum tenebris ambulantes, eſſetis certè mendaciſsimi. Deſine tamen, Vvaramunde, præclaro iſto Eccleſiæ nomine aliam vllam niſi veterem Romanam, hoc eſt ſacroſanctam, & Catholicam nominare; nec cum monte hoc vbere, opimo, & pingui, ſteriles, infructuoſos atque aridos veſtros, ſuper quos nec pluuia, nec cæleſtis ros deſcendit, [2] aliqua ex parte comparan dos eſſe ſuſpiceris. Hunc ſanctus afflat Spiritus, in hoc ſolum complacuit Deo habitare; [3] queadmodum eleganter, iuxtà ac piè de eadem Eccleſiæ Catholicæ vnitate ediſſerens notauit Hieronymus, *Non debetis* (ait) *exiſtimare plures eſſe Eccleſias, vna eſt Eccleſia, vnus Chriſtus ſponſus Eccleſiæ, in nullo enim alio inhabitabit iugiter Spiritus ſanctus niſi in Saluatore; Ioanne, dicente,* [4] *In quem videris ſpiritũ deſcendentẽ et manẽtem in eo, ipſe eſt, qui exciſus ſine manibus impleuit latitudinem omnis terræ.* Idem quoque Regius Propheta, cuius ſententiam interpretatur Hieronymus, cum præmium proponat ei, qui in montem illum aſcendet, ad quem tendentes (apud Eſaiam) [5] ſeſe inuicem prouocant, & hortantur: *Hic* (ait) *accipiet benedictionem à Domino,* & continuò quaſi *συνωνύμως Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob,* videlicet vt ex duorum numerorum ad eandem ſententiã imparilitate cognoſcãt fideles, vnam tantum eſſe Eccleſiam Dei, vnam Fidem, vnum Euangelium, quamuis ex varijs perſonis, linguis & nationibus conſtet. Sed & Optatus [6] Meleuitanus pijſsimus auctor aduerſus Parmenianum Donatiſtam, Eccleſiarum pluralitatem inducentem diſputans (fuit enim hæc & quidem vetus hæreticorum conſuetudo) ſuper illud Prophetæ: *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*) vana Donatiſtarum, nunc Lutheranorum inſomnia, & infames artes, quibus vt ſchiſmata inducãt,

[2] 2. Reg. 1.
[3] Pſal. 67
[4] Ioan. 1.
[5] cap. 2.
[6] lib. 4. contra Parmẽ.

Ecclesiam diuisam prædicant, Christi testimonio confutat in hæc verba, *Hæreticos dicit adulteros Dominus & Ecclesias eorum adulteras, quas repudiat Christus in Cantic. Canticorum, Vna est dilecta mea, vna est sponsa, vna est columba mea, idest Catholica, in qua & vos cum esse possetis, rebaptizando particulam habere voluistis*. Quæ eadem diuini sponsi verba interpretatus Epiphanius in epilogo Panarij ad calcem cõcludit, *Pellices autem sunt secta & hæreses, Ecclesia autem vna est ab vna fide per Spiritum sanctum*. Quapropter hæreticorum confusio, non Ecclesia, vt magnificè iactas, sed execranda synagoga; non sponsa immaculata, sed vilissima pellex appellanda est. Vos insuper vani impostores Iudęis quidem ipsis deteriores existimandi (vt Alexander [2] Alexandrinus Epscopus ad Patriarcham Constantin. scribens ait) illi enim irruptam Christi tunicam diuidere noluerunt, vos autem illam impudenter proscindere atque impiè dilacerare præsumitis. Demum, si verbum Christi, si sacrarum Scripturarum testimonia, si Catholicæ doctrinæ ratio, si frequens Sanctorum Patrum consensio à te impetrare hactenus non potuerunt, quominus tot per Orbem veluti errones Ecclesias inducas, & contra Apostolicam doctrinam Christum diuisum prædices, at ipsius saltem Germaniæ Ecclesiã à Romana non distingui, sed vnicam tantum Ecclesiam esse Irinæi Lugdunensis te monere debuisset auctoritas: *Hanc prædicationem* [3] (ait) *cum acceperit, & hanc fidem quemadmodum prædiximus Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit ijs, videlicet quasi vnam animam habens & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum poßidens os. Nam & si in mundo loquelæ dißimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et nec hæ quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: nec hæ quæ in Iberis sunt, nec hæ quæ in Celtis, nec hæ quæ in Oriente, nec hæ quæ in Aegypto, nec hæ quæ in Libya, nec hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ; sed sicut Sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus & idem est, sic & lumen, prædicatio veritatis,*

2 Apud Theodo. Hist. Eccl. lib. 1. cap. 4.

3 lib. 1. aduersus hæres cap. 3.

tatis, vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et nec qui valde prævalet in sermone ex iis qui præsunt Ecclesiis, alia, quam hæc sunt, dicet. Nemo enim super magistrum est: Nec infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim vna & eadem fides sit, nec is qui multum de ea potest dicere ampliat, nec is qui minus, deminorat. Hactenus Irinæus; cuius sententiam, quasi verbo verbum reddens, repetit Epiphanius.[2] Quapropter etsi plurima sint spiritualis corporis membra vnum tamen corpus est. Et quemadmodum primus Adam[3] in carne monogamus fuit, secũdus etiam in spiritu monogamus est: quemadmodũ vna Eua mater cunctorum viuentium, sic vna Ecclesia mater omnium Christianorum. Concludamus tandem locum hunc Petri Damiani, Licet recentioris, pijssimi tamen scriptoris, sententia, qui vt hæreticorum vanitatem arguat, cum Irinæo sentiens, præclare ait: *Quid præiudicat si ex vno ore vocum diuersitas pendeat, quas etsi per plures linguas, vna tamen fides alternat?*

2 lib. 1. contra hæreses tom. 2.

3 Hieron. ad Ageruch. epist. 11.

Igitur, *Gregorius* (ais) *fidem dedit Ecclesiæ Romanæ*; Esto, sic enim agnoscimus, sic fatemur, sic propugnamus. At certe dedit Ecclesiæ Romanę fidẽ Gregorius, quam scit Catholicam idest vniuersalem esse, cum qua spiritali & sacrosancto nuptiarum fœdere coniungitur, succedens in illius primi sponsi locum, cuius illa fidissimi amoris bene conscia patrocinium sibi nunquam defuturũ confidit. Sponsi[4] læua caput suum fulciri ait: dextera corpus vinciri, vt sic ruere nequaquam possit. Sed hoc minime efficies, (apud pios saltẽ & bonos) quò secius Gregorius Germaniæ ac cæteris vniuersis fidelium communionibus, tanquam supremæ huius Romanæ Ecclesiæ, quæ caput omnium est, membris, debitum officium reddere, communibus commodis inseruire, Christiani populi profectum, concordiam, vnionem quærere existimetur.

4 Cant. 2. & 8.

Sequitur libri tui dispositio, & eorum, quæ tractatu-

rus es, enumeratio. Ais enim, *Quod vt perficiamus commodius, totum illud ſcriptum in tria membra diſtinguemus. Primum eſt de fundamento illius ſcripti, ſiue auctoritate Papæ; Secundum eſt de facto, vel cauſa illa, quæ in ſcripto illo agitur; Tertium de ſententia quam Papæ & Conſiſtorianis viſum eſt in iſta cauſa dicere.* Hæc nos itẽ perſequemur ſingula: Verum quia plurima præmittis, prius quam hæc tractes, his etiam etſi breuiter reſpondendum eſſe puto. Et primum in cauſæ huius cognitione, quæ Illuſtriſſimo Andreæ Cardinali Auſtriaco à Pontifice Maximo demandata eſt, veluti in ſcirpo (quod dicitur) nodum quæris. Eo enim conſilio factum fuiſſe criminaris, vt dignitate & fortuna tanti viri ſpecimen aliquod honeſti haberet res ipſa, & vt Illuſtriſſima Auſtriacum familia concitaretur, & commoueretur aduerſus Truchſium; quod certè & vaniſſimum eſſe, & nullo vel fundamento vel colore à te confictum facile conſtat. Etenim vt nunc prima iuris rudimenta, quorum ignoratione in craſſum hunc errorem prolapſus es, docearis, diſce iam Pontificio iure cognitionem cauſæ demandari non ſolere, niſi illis tantum, quos dignitas & Eccleſiaſticus honos aliquis à ſiniſtra omni ſuſpicione alienos, atque ad omne miniſterium idoneos reddat: his denique, qui delegantis perſonam digne repræſentent: ita cauit Bonifacius Pontifex Octauus (vt recentioribus agam) prædeceſſorum ſuorum (vt ipſe refert) veſtigijs inhærendo in Canone, Statutum. titu. de reſcript. lib. 6. Idipſum ſanxerunt Patres Tridentini, Seſs. 25. cap. 10. Vndè iuxta hanc peruetuſtam, laudabilemquè Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem perſona certè in dignitate conſtituta quærenda fuit in hanc cauſam, nec in hoc latere quid potuit, quod, vt maleuole commentaris, ſaperet dolum. Iam ſi quærenda fuit, ſequitur vt ipſius cauſæ conditionem perpendas. Agebatur de Principe, de Electore, de Sacerdote, de Epiſcopo, & quod

&, quod maius est, de diuini cultus obseruantia, de pace Ecclesiæ, de Religione Catholica, de fide Christiana: an igitur ad hæc omnia obeunda dignè nobilissimæ familiæ vir, dignitatis summæ, maximi nominis (vt tuis verbis dicam) inquirēdus non erat? nonnè iure optimo huic prę alijs cognitio danda? Atqui si aliter decreuisset Pontifex Maximus, tu qui tantum Principum Electorum ordini defers, nonnè indignè, & indecorè cum illo factum fuisse prædicares? *Sed si legatio de primoribus viris desideret personas* (in simili causa Martianus [2] aiebat) *& qui in ordine vocantur, inferiores sint, non esse obseruandum ordinem diuus Hadrianus ad Clazomenios rescripsit.* [2] l. sciendū ff. de legatio.

Verum, esto, demus nunc, Vvaramunde, vel tuæ maleuolentiæ, vel inscitiæ, eo animo Pontificem causam hanc Cardinali Andreæ demandasse, vt Austriacæ familiæ offensionem in Truchsium concitaret; Audi, obsecro, quę fuerit Augustini sanctissimi & doctiss. viri [3] in hoc ipso, in quo versamur, proposito, sententia: *Sic ergo* (ait) *quando vult Deus concitare potestates aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores baptismi, non mirentur, quia Deus concitat, vt à Sara verberetur Agar; mirantur autem quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ? non ergo mirentur. Et quomodo redderent rationem de imperio suo Deo?* Sed & Gregorius Theologus [2] ad simile studium inuitabat & adhortabatur omnes: *Hæc & laicis* (inquit) *præscribo, hæc & presbyteris mando, hæc & ijs, quibus imperium creditum est. Omnes rectæ doctrinæ opem ferte, qui Dei beneficio opem ferre potestis. Magnum est cædem comprimere, adulterium coercere, furtum castigare: quantò maius pietatem sancire, ac sanam doctrinam largiri? Non tantas vires sermo meus habiturus est, pro sancta Trinitate bellum gerens, quantas edictum tuum, si peruersis dogmatibus imbutos compresseris, si persecutione oppressis auxilium tuleris, si interfectores represseris, si interfici prohibueris. De corporea autem cæde non tantum loquor, sed etiam de spirituali. Omne enim peccatum, animæ mors est. &c.* Non igitur reprobanda esset Gregorij Pontificis Maxi-

[3] tract. 11. in Euang. Ioan.

[2] Orat. 31. snpe cap. 19. Mat.

mi mens, etsi eo consilio Illustrissimæ, & potentissimæ familiæ virum delegisset, vt Gentilium suorum Principum manus in Gebhardum armaret. Esset enim hæc seduli pastoris industria, nõ zizaniorum seminatoris calliditas: esset debiti officij persecutio, non scandalorum, & perturbationum cupiditas: esset denique vere paterni animi solicitudo & cura; quam certè sancti Patres approbant, commendant, suadent. Quapropter vanissime tu ambitionem, & studium dissidiorum vocas, id quod in summa laude orthodoxi viri cõstituunt, imo verò ingenue debuisses agnoscere Pontifici Romano potestatem à Deo traditam esse, vt dissidiorum, & perturbationum in Ecclesia Christi occasiones tollat. *Propterea inter duodecim vnus eligitur* (aiebat Hieronymus [2]) *vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Hoc enim Apostolici huius apicis præcipuum munus est; vnde non aliò spectant Gregorij nostri verba illa *Ad satisfaciendum muneri nostro,* id est, vt nunquam [3] cesset instare, increpare, & arguere. Non subterfugiat, quo minus annunciet omne cõsilium Dei vobis, [4] vobis, inquam, & vniuerso Gregi, in quo ab Spiritu sancto positus est regere Ecclesiam Dei. A qua [5] (dum opus sit & ratio postulet) fœtidum membrum & scandalizans abscindat, ac proijciat, videlicet [6] vt eiecto derisore cum ipso exeat iurgium, cessentquè causæ & contumeliæ.

2 lib. 1. aduers. Iouin.

3 2. ad Timoth. 4.

4 Act. 20.

5 Matth. 18.

6 Prouerb. 22.

Ad alia nos transeamus (si quæ erunt) in quibus minus manifestus sit admonitionis tuæ fucus.

Ecclesia Romana Catholica diuino præsidio semper protecta fuit, aduersus Vuaramundum, Hæreticorum multitudinem vanè iactantem.

Cap. III.

ET sequitur, vt præcipuum illius fundamentum aggrediamur, in quo, vt potestatem sanctissimi Pontificis Romani, huiusquè Sacrosanctæ Sedis authoritatem euertas, illo primum vteris argumento, scilicet, in controuersiam eam dudum vocatam esse à pluribus. Ais enim: *Iamdiu in Germania & bona Europæ parte venit in cõtrouersiam ille Primatus, & potestas Papæ, vocatur in dubium, pernegatur. Hic autem perinde agit, ac si res semper fuisset posita extra omnem controuersiam.*

Quamquã quod tu (procax hæretice) hic nobis obijcis, negari non posset, minime tamen efficeres, vt tua insolenti & vana insultatione Catholici & orthodoxi deij ceremur, aut consternaremur animis. Scimus indubitate, & credimus firmissime, Ecclesiam Christi, vt stare possit, humano præsidio nõ magnoperè indigere, sed diuino tantum auxilio: etiam si prudẽtibus sæculi videatur paruum, & abiectum, esse contentam: Siloè decursus quietus & mitis Ciuitatem Dei lætificat, vt testatur Dauid; illi Esaias propheta apposite Iudam populi Dei strenuum ducem comparat, contra verò Assyriorum exercitum cum horrendo immensi fluminis impetu confert. Sic certe copiosam sancti Spiritus gratiã appellabimus Ecclesiam Christi sanctam & orthodoxam: confusam autem & horrendam Hæreticorum turbam, frementis

& pro-

& procelloſi maris fluctus. Quemadmodum enim hi omnia vorant, & abſorbent: ita riuuli dulces fluxus ſua irrigatione cuncta recreant, & lætificant. Verum vt nihil diſſimulanter agere videamur, aut per conniuẽtiam veritati tenebras offundere, iſtius præterea impudentia detecta magis ſit, admonendus hic erit breuiter Chriſtianus lector, aliquos quidem extitiſſe perditos homines, qui Eccleſię Romanæ, vt glorioſe iactat, iſte poteſtatẽ impiè negauerũt, quos tamen (hoc enim illi addendum eſſet) omni ſæculo, & memoria, eadem Romana vniuerſalis & orthodoxa Eccleſia ſancto Spiritu illuſtrata puniuit, damnauit, & tanquam Hæreticos infenſiſſimosquè Chriſtiani nominis hoſtes iuſtis ſupplicijs affecit, illos ſacroſancta Conciliorum decreta condemnauerunt, illos viri doctrina præſtantiſſimi innumeris ſcriptis vnanimes conuicerunt.

Nam Græci (vt de his dicam primò, à quibus Romanæ Sedis authoritas oppugnari cœpit) Concilij ſecundi magni tempore Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſecundum à Romano Pontifice fecerunt: vt conſtat ex eius Concilij canone V. quorum tamen audacia eo quidem tempore tanta non fuit, vt Romanum Epiſcopum Primum, Summum, & Maximum negarent. Ita enim ex eodem canone colligitur, cuius ſunt verba, *Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum.* Rurſum hi paulo poſt ſiue calliditate, & aſtu Anatolij Antiſtitis Cõſtantinopolitani vt aliqui volunt, ſiue natiua gentis leuitate, & in occidentalẽ Eccleſiã æmulatione tertij Cõcilij magni tẽpore, *Nouæ Romæ throno* (inquiunt) *æqualia priuilegia cum veteri Eccleſia Romana tribuere iudicamus*, vt habetur eius Concilij act. 15. canon. 28. & act. 16. in fine. Verum hoc quidem neque admiſſum, nec inductum eſt Romanæ Sedis patiẽtia, quinimo contradicente primum, & reclamante eiuſdem

Sedis

Sedis legato Paschasino [4] Episcopo, qui in eo ipso Concilio tertio præfuisse, statuisse, & omnium primus subscripsisse legitur: *Paschasinus* (non semel ait) *Episcopus vice domini mei beatissimi atque Apostolici vniuersalis Ecclesiæ Papæ vrbis Romæ Leonis Synodo præsidens statui, consensi, & subscripsi.* Leone item R. P. ambitiosi canonis decretum reijciente, & irritante, vt ex eius Epistolis perspicue videre licet, ijdem denuo vani, & temerarij Græci Oecumenicum, idest vniuersalem Episcopum Constantinopolitanum appellarũt, vt ex multis Epistolis S. Gregorij Papę primi colligitur ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, ad Imperatorem Mauritium, ad Imperatorem Constãtinum. Tandem in vltimam audaciam proiecti circa annum millesimum, quinquagesimum quartum, Romanum Pontificem de gradu suo excidisse, & Constantinopolitanum summum esse omnium apertè pronunciarunt [2]. At vt eorum eo tempore statum noscat lector pius, adscribam hic quæ Sigibertus [3] Monachus eius sæculi auctor, qui tamen in Romanam Sedem minime propensus fuit [4] de illis narrat, *Leo* (inquit) *Papa per epistolam ad Imperatorem Constantinum scriptam animum eius sibi concilians Apocrisarios suos Humbertum videlicet Cardinalem Episcopum Siluæ Candidæ, Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum, Federicum quoque Septimum Leuitam, & Cancellariũ dirigit Constantinopolim ad confutandas Græcorum hæreses, qui vt Simoniaci donum Dei vendebant, vt Valesij hospites suos castratos etiam ad episcopatum promouebant, vt Arriani rebaptizabant à Latinis baptizatos in nomine sanctæ Trinitatis, vt Donatistæ in sola Græcia Orthodoxam esse Ecclesiam iactabant, vt Nicolaitæ nuptias Sacerdotibus concedebant, vt Seueriani maledictam dicebant legem Moysi, vt Pneumatogami professionem Spiritus sancti à Symbolo abscindebant, vt Nazareni Iudaismum obseruabant, paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem baptizari, mulieres in partu vel menstruo periclitantes communicari vel si paganæ essent baptizari prohibebant, Latinos vocabant Azymitas & eos nimis persequentes, eorum ecclesias claudebant, de fermentato sacrificabant, in filijs suis Romanam Ecclesiam anathe-*

4 vt notat Surius.

2 Leo 9. epist. 9.

3 in illius anni Chrono.

4 adhæsit enim Henr. Roma. Eccl. hosti, ex Trith. de script. Eccle.

anathematizabant, eiquè Ecclesiam Cōstātinopolitanam præponebāt. Videant ergo isti nunc quos sequantur duces; quos antesignanos habeant, quorum vestigijs insistant, in quibus tot hæreseon & errorum colluuies, tam varia & multiplex scelerum congeries eo tempore coaceruata reperiebatur.

Iam hos præclaros signiferos (referam tantùm primarios) sequuti sunt illi, qui ab Vualdone Lugdunensi Vualdenses dicti sunt, quos anathemate percutit & Gregorius nonus in epistola decretali ad Mediolanensem Archiepiscopum, quæ in cap. penultimo de Hæret. in Decretalibus. & Concilium quoque generale habitum Romæ ad ea tempora. Istorum autem errores, & perditissima dogmata enumerat Æneas Syluius. in histor. de orig. Bohem. cap. 33. aduersus quos item liber extat Reinerij scriptoris Catholici, qui inscribitur Cōtra Vualdenses. Lugdunensibus Fraterculi successere, qui omnem potestatem Petri ad se se translatam esse docuerunt, [2] quos tamen impostores impios iuxtà ac ridiculos damnarunt Honorius [3], Bonifacius [4] Clemens [5] & Ioan. 22. [6] Romani Pōtifices. Paulo post hos Marsilius ille de Menādrino Patauinus prodijt, cuius sententiā ceu Delphicum, vel Dodonæum oraculum in mediū producit Vvaramūdus. Ioannes itē de Ianduuo qui contra Ecclesiam Romanam mille errores, & mille sacrilegas blasphemias (vt eorum temporum infęlix ferebat conditio) impudenter quidem, at non impunè protulerunt. Illos enim vt hæreticos obstinatos Ioan. [7] Pontifex 22. atque adeo Vniuersalis Ecclesia condemnauit. Hosce Vuiclephus subsequitur, & hunc paulo post Ioannes Hus, quorum tamen falsa dogmata apud Constantiam generali coacto Concilio damnarunt Patres, & Vuiclephi ossa effodi, & exhumari, atque extra ecclesiam proijci iusserunt [8]. Demum, ad illa

2 Turre. Card. lib. 4. de Eccl. ca. 37. parte. 2.
3 Extrauag. olim fælicis recordationis.
4 c. vnā sanctam.
5 c. gloriosam Ecclesiam.
6 extra. sancta Romana.
7 In extrauag. quæ incipit, Licet iuxta doctrinam Apostoli.
8 sess. 8. & 15.

omnia

omnia infelicissima, & execranda monstra deuentum est, quæ tu hic nobis, Vvaramunde, percenses. Post illum enim miserrimum hæresiarcham Martinum Lutherum veluti tetri serpentes de cauernis terræ ebullientes multi temerè repentequè prosilierunt, atque vt iam olim de Gnosticis conquerebantur Irinæus [2] & Epiphanius [3] velut à terra fungi manifestati sunt. Egregius enim ille pecoris magister librum scripsit de Primatu Papæ, quem citat Vvaramundus. Item & articulos, quos inferius refert, & in 25. assertione Pontificiam potestatem impius exagitat. Hunc sequutus Caluinus institutiones edidit, quas refert, quarum lib. 4. cap. 2. 6. & 7. idem argumentum tractat. Edidit Ioannes Brentius confessiones, quas item allegat, & idem impudens hęreticus prolegomena. Philippus Melãchthon cõciliabuli, cuius meminit Smalkaldiæ coacti nomine, eiusdem argumenti librum vomuit. Iam Centuriatores Magdeburgici centuria prima, lib. 2. cap. 7. colum. 124. & cap. 10. colu. 149. eadem somnia vaticinantur: & Matthias Illyricus horum coryphæus librum inscripsit de Primatu Papæ, alterum de alteratione Romani Pontificis, vt alios omittamus, qui in hoc eodem errore ab illo primo duce decepti prolapsi sunt, & verò quotidie miserè prolabuntur. Pestiferis enim editis scriptionibus nihil potius aut sanctius ducunt, quàm veræ religioni procaciter illudere, mysterijs insultare, sancta proterere: Romanam imprimis maiestatem adoriuntur tanquam Catholicorum certissimum aufugium, munitissimam arcem, tutissimam anchoram. At in ista temporum infelicitate Christus Ecclesiam suam non dimisit; aduersus enim tenebrarum rectores [2] & Satanæ ministros sacrosancta Romana Ecclesia, antiquissima ab Apostolo Petro seruata traditione & exemplo Generale & Oecumenicum Concilium indixit; in quo super quingentorum Patrum testimonio

2 Lib. 1. c. 33. contra hæres.

3 Lib. 1. tom. 2. cõtra hęres. 31.

2. ad Eph. 6.

ſtimonio & vnanimi ſententia perniciosum hoc & detestabile dogma condemnatur, & Primatus Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ab omnibus conceditur & ſtatuitur. Cum igitur, vt vides, à dextera Excelſi contriti & confuſi fuerint ſemper qui nos conturbarunt, cum peſſima quæ adhuc pullulant germina, quæ adoleſcunt infelices propagines eadem ſeduli villici opera accisas, ſteriles, exuſtas breui tempore fore ſperemus, non male nūc aduerſus tuam iſtam effrenatam iactantiam illud vſurpabimus Athanaſij [4], qui cum à Iuliano Imperatore magis ac magis in dies vexaretur, ad mœſtum & flentem circumſtantem populum prophetico sermone dixiſſe perhibetur: *Nolite filij conturbari, quia nubecula eſt, & citò pertranſit:* aut illud certè Paciani Barcinonenſis Epiſcopi ſanctiſſimi Patris, qui ad Symphronianum Nouatianum ſcribens, magnum hæreticorum numerum ſimili, qua tu, impudentia, & mendacio efferentem, Catholicam Eccleſiam appoſitiſſimè comparat viti fœcundæ & locupleti: *Ergo eadem* (ait) *fœcunda vitis & locuples, plures habens ramos multo palmitum crine diſtentior, nihil ne ex iſtis hyberno frigore laborauit? nihil aſperas grandines pertulit? nihil torridas incuſauit æſtates? aſperior eſt hæc gemma palmitibus, iſta fortior, illa ſincerior; hæc ſe diffundit in fructus, hæc in ſolas exuberat frondes, vitis tamen vbique formoſa, mater hæc adoleſcentularum, quarum non eſt numerus. Calculare denique ſi potes Catholicos greges & diuide in digitos noſtræ plebis examina, contēplare quot noſtros vnus aſpicias, quot meorum populis ſolus occurras: nō vt ſtillicidia fontibus magnis, nō vt ab Oceano quædā gutta ſorberis?* Hæc Pacianus. Ne ergo perditorum hominum multitudinem inſolenter prædices, aut perduellium numerum extollas; Eccleſiæ enim hoc eſt ruinis, quæ tot falſis abundauit fratribus, inſultare. Illa certè in terris conſtituta aduerſus ſuorum hoſtium copias licet innumerabiles dimicabit ſemper. Roſa quidem eſt & lilium quantumuis ſpinis ſeptum, ouile electarum ouium etſi

4 Ruffin. hiſto. Eccle. lib. 1. c. 34.

rapacibus luporum patens incursibus, columba imma-
culata licet accipitribus obiecta, nauis instructissima
quamquam fluctibus, scopulis, piratisquè exposita. Cō-
fertur rectè cum muliere prægnante, quæ parturitionis
assiduis laboribus penè frangitur, sed quæ lætatur tan-
dē, nec præ gaudio, pressuræ amplius meminit edito in
mundū puero. Oppugnarunt enim eam Iudæorū syna-
goga, Gētium εἰδωλολατρίαι, variorum hæreticorum phā-
langes. Verum (vt diximus) sub vmbra alarum suarum
protexit illam misericordia Altissimi à facie impiorum
qui eam afflixerunt [2], impiorum inquam, quorum 2 Spf. 16.
laus [3] *breuis est & gaudium hypocritæ ad instar puncti, si ascende-* 3 Iob. c. 20.
*rit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, qua-
si sterquilinium in fine perdetur; & qui eam viderant, dicent, vbi est?*

Respondetur Vuaramundo calumnianti, Romanos Pontifices in visibili Ecclesia Christi, quæ in terris est, non regnare, quòd in illa regnet Christus. Cap. V.



IAM tu sic colligis ex illis Gregorij Pontifi-
cis Maximi verbis, *Humani generis conditor in
cælis regnans sanctā Ecclesiam Catholicam beato Pe-
tro Apostolorum Principi, ac eius successoribus Roma-
nis Pōtificibus regendā tradidit. Gregorius* (inquis)
*voluit Christum in terris non regnare cum terris cælos opposuit, & cæ-
lesti terrenam administrationem.* & subiungis, vt ais, causidice,
*Præsente Rege, Proregis auctoritas cessat: ergo præsente Christo at-
que in medio nostrum versante, auctoritas nulla Gregorio.* Et qui-
dem nunc quid prius aut potius admirer nescio, calum-
niam videlicet, an ignorantiam: Erunt ne qui tam ma-
nifestò calumniosis mēdacijs applaudant? qui tam ab-

4 Epist. Paschali 1. surdis nugis capiantur? Rectè quidē Theophilus [4] Alexandrinus: *Qui enim* (ait) *post crebras commonitiones, Ecclesiasticæ fidei contradicunt, duplici languore retinentur, nequitia, & imperitia: & in morem serpentium toti ad terram conuersi adhærentesquè humo, bonis mala præferunt*. Quam enim offusa sunt ista omnia (Deus bone) densissimis ac plusquam cimmerijs ignorantiæ tenebris. Vndè ne, peritissime Dialectice, conclusionem argumentationis tuæ constituis? Qua ratione quod vis, effici posse contendis? Tradidit (ais) Christus regendam Ecclesiam suam Petro & suis successoribus Romanis Pontificibus, ergo ipse Christus in illa nullam habet potestatem. Immo vero ex hoc ipso habet, quòd regendam tradiderit. Deinde, Christus in cælis regnans tradidit Ecclesiam suam Petro & suis successoribus, ergo Christus, quòd in cælis regnat, in terris non regnat: Immo si Petrus, si Gregorius regnāt, per Christum regnantem regnant. Et certè duplicem esse Ecclesiæ partem, inter fideles, orthodoxosquè & eos qui calumnias & violenta iudicia non amant [2], conuenire scimus. Vnam videlicet quæ ex electis spiritibus cōstat, quæ in sanctis Angelis beata persistit, quæ locum possidet incorruptibilē, non alterationi, non motui subiectum, quæ æterna est, quæ patria est. In hac Deus præter illos tres generales modos Theologis communes [3], essentiæ, præsentiæ & potentiæ, quibus vbique est, omnia penetrans, omnia videns, omnia conseruās, illud beatis spiritibus addit, vt scilicet clara sui manifestatione fruantur: & hæc est illa consummatio gloriæ, perfecta lætitia, bonorum omnium terminus, expectata merces, fruitionis regnū vt alias interim his similes descriptiones prętereā, quibus beatorū diuina visione fruētiū statū explicant sancti Patres. Altera est Ecclesia militans, quæ cunctorū Christifidelium congregationē continet,

2 Eccl. 5.

3 S. Tho. 1. primæ q. 8. Greg. Mag. Lib. 2. in Ezech. August. tract. 5. de cog. veræ vitæ. cap. 8. Bernar. sermone 3. super Missus est.

tinet, quę tendentibus ad illam cæleſtẽ conſtat, quæ nũc quidem elementarem hãc mundi partẽ incolit, ſed quæ aliquãdo tandem cum illa altera coniuncta in æternum eſt duratura. Hanc Chriſtus, generis humani redemptor in locum ſynagogæ veteris inſtituit, ſuo fundauit ſanguine, in hac nouum ſacerdotium condidit, nouam legem conſtituit. *Nuſquam enim eſt* (vt Auguſtinus ait 2) 2 Lib. 17. de Ciuit. cap. 17. & 20.
ſacerdotium & ſacrificium ſecundum ordinem Aaron, ſed vbique offertur ſub ſacerdote Chriſto. Et ante illũ Clemens Romanus *Baptiſmum, ſacrificium, ſacerdotium, localem adorationem mutauit, pro quotidiano baptiſmo vnum ſolum, pro ſacrificio cruento rationale & incruentum ac myſticum ſacrificium* (hoc eſt ſacroſanctam Euchariſtiam) *inſtituit*. Diuus Paulus [4] ea, qua ſolet 4 Ad Hebr. 7.
verborum ἐνεργείᾳ, *Translato ſacerdotio neceſſe eſt* (ait) *vt legis translatio fiat*. In hac ergo Eccleſia, quæ à Chriſto fundata eſt, quæ ab ipſo incepit, cuius eſt ipſe caput, quæ tota eſt ſua, quis ipſum eijciat? quis à propria poſſeſſione deturbet? Quinimmo quia ipſe Dominus ſacerdotium nouum, nouam legem, nouum ſpirituale regnum inſtituit, ideo ſacerdoti ſuo ſuarum legum tradidit poteſtatem: & vt Gregorius Pont. Max. ait, *Hanc Eccleſiam beato Petro, & illius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ab ipſo inſtitutis regendam tradidit.* Licet enim Saluator noſter præſens hic, ſub alia quidem forma, in propria verò ſubſtantia ſit, & præſentia corporali remanſerit, confortans nos vſque ad conſummationem ſæculi (vt ſancti Concilij generalis Viennenſis verbis vtar) tamen neceſſe fuit viſibilem miniſtrum eſſe ipſius Chriſti in terris. Hoc enim ipſe Dominus voluit, cum in vetere lege Aaron [6] & 6 Exo. 29.
eius ſucceſſores, in noua Petrum [7] & Romanos Epiſco 7 Ioan. vlt.
pos ad ſui ipſius ſimilitudinem, qui viſibiliter Eccleſiam ſuam rexit, Summos Pontifices ordinauit, qui nempè eius voluntatem exponerent, qui ea, quibus Eccleſia indiget, viſibiliter conficerent, exhiberent ſacroſancta, Po

pulos

pulos in fide instruerent, constituerent Episcopos, fideles legibus, exemplis, monitionibus regerent, malos abominationibus & pœnis corrigerent; qui denique Ecclesiam Christi, vt à Christo traditam, non vt à se ipsis vel constitutam vel vsurpatam gubernarent, & proinde potestatem suam à Christo, non à se promanare agnoscerent. Et verò hoc inter alia rectè probat nobis nominis ratio illa, qua Pontifices Romani potestatem suam demonstrant: vicarios etenim Christi se appellant. Vicarius autem ille est, vt vox ipsa docet, qui non suam, sed alterius vicẽ gerit. Immo vero, si ingenuè cõsideres, nulla vox reperiri potuit, quæ alienã potestatem exprimeret magis, & quæ propriã significaret minus, vt quæ peculiari serui seruo conuenit [2]. Sic enim ad Iustinianũ illis verbis τοῦ οἰκέτου τὸ οἰκέτην Theophilus interpretatus est [3]. Demũ sic (quicquid calumnientur isti) Pontifices ipsi nostri agnoscunt ac fatentur. Leo enim Magnus sermone tertio in anniuersario Pontificatus sui: *In populo Dei (inquit) multi sunt sacerdotes, multiquè pastores, quos proprie regit Petrus, quos principaliter regit Christus.* Atque infra explicans illud Euãgelij, *Et ego inquit Christus dico tibi &c. Sicut meus Pater manifestauit tibi diuinitatẽ meam, ita & ego notam facio tibi excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Nicolaus primus in episto. ad Episcopos apud Gallias constitutos, *Sunt igitur (ait) Pontifices Romani super vniuersalem Ecclesiam constituti, sed nomine Christi, & à Christo.* Itaque hæc est Romanorum Pontificum de sua potestate sententia, qui certè alieni iuris (quod aiunt [2]) Vicarij dici possunt non ita domini, vt ab illo æterno Domino potestatem illorum pendere inficiemur. Hoc autem, Vvaramunde, non est Christo terrenum dominium surripere, sed concedere,

2 l. 17. de peculio.

3 §. cum autem. insti. quod cum eo.

2 Cice. pro Mur.

cedere, nõ est in alienos limites irruere, sed Iesum Christum omnium rerum dominum Pontificiæ potestatis auctorem agnoscere, fateri, venerari. Tu verò eodem isto fallaci sophismate non Pontificiæ dignitati detrahis tantùm, verum & reliquas omnes potestates mundi reijcis, omnem principatum tollis, omnem ordinem temerarie confundis, imperia quæquè & magistratus damnas: sine quibus tamen (vt ille ait) nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus, nec rerum ipsa natura stare potest. Sanctè ergo pièque Gregorius xiij. Pont. Max. illis verbis, *Ecclesiam suam Catholicam beato Petro Apostolorum principi & eius successoribus Romanis Pontificibus regendam tradidit*, satis explicat Ecclesiam non suam sed Christi, non potestatem in illam sublatam à Christo translatam in Gregorium, sed à Christo deriuatam, & à Christo communicatam Gregorio.

Iam illud quod causidice quasi ab adytis iurisprudentiæ petitum te dicturum pollicebare, *Cum Rex præsens est cessat Proregis auctoritas, vt Solis præsentia stellas obscurat, eisquè lucem adimit, sic procerum potentiam præsentia Regis eleuat, & tu, Gregori, præsente Christo atque in medio nostrum versante, auctoritatem istam tibi vendicabis?* Tuis ipsis dico, illos appello, videant ipsi si quid futilius, inanius, calumniosius. At quàm inciuiliter & ignoranter prolatum ab eo præsertim qui se de apicibus dicturum pollicitus erat. Nulli ne olim Iudici, nulli Magistratui, præsente etiam Principe, potestas & iurisdictio ab ipso Principe concessa competebat? Censor, Prætor, Ædilis, Tribunus, Quæstor, Præfectus vrbis, Annonæ, Vigilum, ordinarij omnes Iudices, qui in Vrbe reddebant ius, & potestatem habebant, quorum hodie similes vbicunque terrarum reperiuntur multi, Principe ne, a quo dantur, absente, iurisdictionem tantum exercent? Immo vero cum Magistratus propriè dicantur (Varro ait) quibus Respublica omnino vel ex

parte à populo vel Principe commiſſa eſt. Rurſum hi propriè dicti ſunt, qui in Vrbe ius dicunt, & hac ratione potiſsimum à Præſidibus Prouinciarum ſeparantur, vt eſt auctor Vlpianus in l. aliud. de verbo. ſignificatio. Paul. l. 3. §. 1. quod met. cau. & quod magis eſt, huiuſmodi Magiſtratibus liberam iuriſdictionem ſublata prorſus omni prouocatione aliquando [3] conceſsiſſe Imperatores certum eſt. Tantum abeſt, vt Gregorium xiij. tanquam minus iuriſperitum conſultiſsimus iſte cenſor meritò poſsit reprehendere.

3 Sueto. in Calig.

Rectè & propriè dici, Pontifici Romano omnem poteſtatem à Deo conceſſam eſſe in Eccleſia Catholica, aduerſus calumniam Vuaramundi, qui cæleſtem tantum Eccleſiam, ideſt beatorum cœtum iſto Eccleſiæ Catholicæ nomine intelligi debere obiecit. Cap. VI.



X eodem tu iuris principio inferius paulo ſic ais, *Nam hoc dicto iſti homines arguti & belli ſophiſtæ Chriſto etiam ipſum regnum cælorum adimunt, vbi Eccleſia iuſtorum ſpirituum conſecratorum eſt potiſsima illa pars Eccleſiæ Catholicæ, ſi Petro omnis poteſtas data eſt in Eccleſia Catholica?* Eccleſiam catholicam etſi Vniuerſalem interpretemur, quo etiam ſenſu cæleſtis illa & triumphans comprehenditur, quis fuerit communis vſus vſqueadeò ignarus, aut vt rectius dixerim, tam impudenter calumnioſus, qui Catholicæ Eccleſiæ nomine vniuerſorum viuentium electorum Dei numerum, & in Chriſto vni-

tam

tam per fidei vinculum ſocietatem, atque vnum Dei populum non intelligat? Iſto enim ſenſu Catholicam Eccleſiam acceperunt quotquot ſancti Patres ſcripſerunt hactenus, inter quos antiquus auctor Vincentius [2] Lyrinenſis καθολικοῦ etymologiam docens, *In qua* (inquit) *Catholicæ, Apoſtolicæque Eccleſiæ ſequantur neceſſe eſt, vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Idem non obſcure explicat Optatus [3] Afer, Eccleſiam Romanam Catholicam eſſe & dici probans. Idem beatus Pacianus ad Symphronianum ſcribens de Catholico nomine eleganter docet, quod ad hoc inuentum fuiſſe dicit, vt plebs Apoſtolica ab hæretica ſecerneretur. Timotheus ſiue Saluianus Maſſilienſis ad Eccleſiam Catholicam hac ſignificatione vſurpata epiſtolam conſcripſit. Atque vt omittam ab omnibus (vt dixi) ſanctis Patribus tam Græcis quàm Latinis hoc nomine ſignificatam fuiſſe ſemper Eccleſiam viſibilem Chriſti, vnus Cyprianus [2] pro multis ſit, qui ad Cornelium ſcribēs de Romana Eccleſia, quam vera fides Catholicam prædicat, ſic ait: *Nos ſingulis nauigantibus ne cum ſcandalo nauigarent rationem reddentes, ſcimus nos hortatos eos eſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent ac tenerent.* Eadem voce Eccleſiam Romanam intelligi voluit Iuſtinianus in iureiurando ab his præſtando, qui adminiſtrationes accipiunt: *Et communicator* (ait) *ſum ſanctiſſimæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, & nullo modo vel tempore aduerſabor ei.* Et quidem iure optimo Catholica ideſt vniuerſalis Eccleſia Romana dicitur, extra quam ſalus non eſt, & cuius fides per beatos Apoſtolos Petrum & Paulum tradita breuiſſimo temporis ſpatio per vniuerſum orbem diuulgata fuit, etiam apud Scythas, & quaſquè nationes remotiſſimas, planequè barbaras; vt auctores ſunt Irinæus [3], Iuſtinus Martyr [4], Clemens Alexandrinus [5], Origenes [6], Tertullianus [7] & Chryſoſtomus [8].

2 Lib. 3. cap. 38.
3 Lib. 2. cōtra Parmenia.
2 Epiſt. 45.
3 Lib. 1. c. 3. aduerſus hæres.
4 Cōtra Tryphonem.
5 In Protrept.
6 Hom. 9. in Gen. & 4. in Ezech.
7 Libr. de præſcript. ad Scapul. & contra Iud.
8 in Matth. c. 24.

Nō igitur video, cur ſacroſanctę Romanę Eccleſię appel
lationem hanc incōuenientem iudicas; quam tamen va-
niſſimè iam olim Donatiſtæ, & Nouatiani, nunc autem
impudentiſſimè Caluiniani vſurpant, & ſuę hæreticæ ſy
nagogæ applicare non verentur. Sed eſto, concedamus
tibi, Vvaramunde, Eccleſiæ Catholicæ nomine regnum
cælorum debere intelligi, & non eorum qui in via ſunt,
fidelium communionem; An ne vel hac etiam ὑποθέσει
admiſſa, impropriè & arroganter locutum dicemus Gre
gorium xiij. qui regni cælorum poteſtatem ſibi vendi-
carit? minimè quidem. Hilarius enim Pictauenſis, vir
ſanctitate & eruditione clarus, antiquitate venerandus,
Arianorum [1] hoſtis acerrimus, cuius certè auctoritatē
tuæ lubens anteponet ſanus quiſque, de Petro Apoſtolo
loquens, *O beatus cæli ianitor* (ait [2]) *cuius arbitrio claues æter-
ni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas
ſit in cælo, vt quæ in terris aut ligata ſunt, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem
conditionem obtineant & in cælo.* Sed & Origenes [3] Hilario
antiquior, *Non modica* (inquit) *differentia eſt, quòd Petro
quidem datæ ſunt claues non vnius cæli, ſed multorum cælorum, vt
quæcunque ligauerit ſuper terram, ſint ligata non tantum in vno cælo,
ſed in omnibus cælis: & quæcunque ſoluerit ſuper terram, ſint ſoluta
non ſolum in vno cælo, ſed in omnibus cælis, Ad eos autem qui mul-
ti ſunt ligatores & ſolutores in terra ſic dicit, vt ſoluant & alligent,
non in cælis ſicut Petrus, ſed in vno cælo, quia non ſunt in tanta per-
fectione ſicut Petrus vt alligent, vel ſoluant in omnibus cælis.*
Idem docuit Chryſoſtomus homil. 5. de verbis Eſaiæ.
Vidi Dominum. Quamquam nobis (inquit) *admirandus videtur
thronus regius ob gemmas affixas & aurum quo cinctus eſt, tamen re
rum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec vltra poteſtatem
hanc præterea quidquam habet auctoritatis: verum ſacerdoti thro-
nus in cælis collocatus eſt, & de cæleſtibus negotijs pronunciandi ha-
bet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipſe cælorum Rex, Quæcunque li-
gaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueris
ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Quid cum hoc honore confer-
ri poſſit? à terra iudicandi principalem auctoritatem ſumit cælum:*
nam

1 Hierony. de viris illuſt. & Fortunatus p̄sbyter in vita Hilarij.
2 In Matth. cap. 16.
3 Tracta. 6. in Math.

nam Iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat. Petrus quoque Damianus Cardinalis & Ostiensis Episcopus (vt recentiori testimonio vtamur) sermone de sancto Petro Apostolo, *Consummatus honor* (ait) *& dignatio gloriosa hominem in terris positum cælis imperitare, & inter Angelorum choros iudiciariæ potestatis exercere virtutem.* Atque inferius, *Præcedit Petri sententia sententiam Redemptoris, quia nõ quod Christus, hoc ligat Petrus: sed quod Petrus, hoc ligat Christus: iudicat Petrus, & Petri iudicia confirmat Omnipotens, & est in manu Petri manus Altißimi.* Eccè quomodo interpretentur sancti Patres Petro omnem potestatem datam in Ecclesia Catholica, quo certè dicto Christo adimi regnum cælorum minimè existimant. Imo vero cum Christus post resurrectionem suam gloriosam, & sacrosanctam, omnem sibi potestatem in cælo & in terra datam esse dixerit[2], de 2 Matt.vlt.
quo vt eleganter Gregorius Nissenus interpretatur (in libro qui eius esse fertur, & de cognitione Dei inscribitur) contra Hebræos disputans, loquutus est Daniel[3] 3. cap.7.
cum ait filio hominis in nubibus cæli venienti datum esse honorem, imperium, & regnum. Iccirco Petro Vicario Christi, noui testamenti Sacerdoti summo, in quo spirituale istud regnum constitutum est ab ipso Domino, iure optimo in cælo & in terra potestas competit. Ipse enim Christus Deus & homo à dextris Patris post perfectam generis humani redemptionem sedens, suis Vicarijs qui hanc visibilem Ecclesiam gubernant nomine suo, potestatem suam communicare non dedignatur. Quapropter verè docemur Petro atque eius successoribus in Ecclesia Catholica omnem potestatem à Christo concessam esse: quæ quidem potestas cũ respectu cęterorum omnium Episcoporum plenissima sit, nec aliquo circumscripta loco, ideò meritò Omnis nominari debet, quidquid repugnet Leonhartus & illius vanissimus magister Caluinus.

Petrum Apostolum fuisse Principem, Caput & Superiorem Apostolici Collegij ex Christi verbis, & trium Patriarchalium Sedium testimonijs (vtraque enim deficere calumniatur Vuaramundus) probatur. Cap. VII.



ERVM iam præcipuum tuæ admonitionis fundamentum habemus. Etenim vt Romani Pontificis potestatem & primatum fidentius neges, eundem in beato Petro, cuius ille successor est, impudenter primum negas. Ais enim, *Etenim probatione opus habent ista, Petrum dici Apostolorum Principem, eique præter omnes & supra omnes sanctam Dei Ecclesiam Catholicam fuisse commendatam & regendam traditam.* Et inferius: *Et quod Petro, idem quoque est omnibus à Christo Domino nostro imperatum.* & rursum: *Nam si Christi, Apostolorum, Patrum; qui propius ab aureo illo seculo abfuerunt, testimonia de hac re circumquæsieris, non extant aut leguntur vnquam; si quæ autem adducuntur, detorta, corrupta, vitiata, conficta omnia.*

Principio huius nostræ contentionis admonui, ægrè me quidem ferre in eo tecum versari argumento, quod propè infinitis probatissimorum auctorum voluminibus tentatum fuerit hactenus. Eadem enim quæ maiores tui Hæretici infausti obiecerunt nobis, quæ commenti sunt, quæ somniarunt, nunc tu iterum, vane Doctor, inculcas insulsissimè, atque eò te demersit improbitas, vt amissa prorsus fronte Primatum sancti Petri nullibi sacrarum literarum probari affirmes; apud nullum vsquam auctorum reperiri constanter proferas.

Dissimulare

Dissimulare poteram (fateor) Quid enim refert Solem meridiano tempore lucere si probes, vel quod ignorantissimus Leonhartus negat, demonstres, tot præcipuè scriptorum iam editis elegantissimis in hanc rem elucubrationibus, tot veritatis adminiculis, tot diuini verbi præsidijs. Sed id, propositum nostrum vetat; animus enim est singula persequi sigillatim, &, vt monuit Sapiens, respondere stulto contra stultitiam suam. Igitur perpaucis testimonijs ex sacris literis petitis, atque his quidem in omnium ore versantibus, Sanctorum etiam illorum Patrum, qui propius ab aureo illo seculo abfuerunt (horum namque sententias in hanc rem desiderari etiam clamat iste) vno aut altero adducto testimonio, (singula enim quæ ad hanc ipsam veritatem comprobandam referri possent, superuacaneum esset persequi, à tam multis varijs in locis explicata,) his inquam Primatum Petri probari manifestè demonstrabo. Vt verò in primis à Christi ordiamur verbis, Quid rogo, manifestius, quid notius quàm quod apud Matthæum [a] in illa mirabili fidei professione à Petro facta, legitur? de qua sic Christus, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quibus verbis tria nos docuit Christus, vt sancti Patres in illius loci expositione sanctè monent. Primùm, fundamentum Ecclesiæ esse Petrum: Deinde claues regni cælorum illi traditas: Tertiò potestatem super terram illi concessam. *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum* (Hilarius exclamat) *dignaquè ædificatione illius petra*; atque addit Chrysostomus, *Petrus tanquàm os Apostolorum, & caput, pro omnibus respondet, &*

a.cap.16.

qui

qui præ cæteris Regem cælorum maiori dilectione confessus est, meritò præ cæteris, ipse collatis clauibus regni cælestis donatus est. Deinde, cum ardentissimi amoris in Christum Petri, iuxtà ac fidei experimẽtum facere vellet Saluator ipse, & vtriusque mercedem illi copiosam tribuere Ioann. vlti. *Simon Ioannis* (ait) *diligis me plus his? dicit ei, Etiam Domnie, tu scis quia amo te: dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? at ille: Etiam Domine, tu scis quia amo te, dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? & dixit ei, Domine tu omnia scis, tu scis quia amo te, dicit ei, Pasce oues meas,* Oues inquam, idest vniuersam Ecclesiam vt Augustinus interpretatus est tractatu 124. in Ioannem. Rursum Christus, vt Petrus suam dignitatem rectius agnosceret, & quæ pro illo incumberet solicitudo Christo animaduerteret, Lucæ 22. *Simon* ait, *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret vos sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* His namque verbis non obscurè Primatum Petri ex Christo cognoscimus, pro cuius fide vt non deficeret, impensè rogauit Patrem vt illius videlicet qui coapostolos in fide stabilire debebat, & ab cuius fide, suæ fidei explicationem cæteri petere debebant, quemadmodum Paulum Apostolũ fecisse constat. Illũ enim vt de ijs, qui Antiochiæ de viuendo secundum legem Moysis disceptabant, definitionem & explicationem à Petro ferret, ad ipsum accurrisse narrat inter alios Theodoretus. At nec deficiunt profectò Apostolorum testimonia (quando hæc etiam desiderari vult Vvaramundus) quibus Catholicam hanc doctrinam comprobemus. Huius enim veritatis non minimum est, neque contemnendum fundamentum, quod in ipsorum Apostolorum scriptis tam frequenter ac penè religiosè obseruari videmus; in quibus siquando Petri mentio incidit, varijs illum appositis dignitatem eius & excellentiam significantibus extollunt, si quando aliquid

aliquid factum, approbatum, ſtatutum ab Apoſtolico Collegio doceant, à Petro tanquam à capite incipiunt, & illius in omnibus prima & præcipua mentio fit. Sic Matthæus enumerans Apoſtolos, *Duodecim*, ait, *ſunt hæc Apoſtolorum nomina. Primus Simon, qui dicitur Petrus, &c.* Quem ordinem vt conſultò ab Apoſtolo obſeruatum ſecutus eſt poſtea recentior quidem Apoſtolis, ſed antiquiſſimus tamen ſcriptor Dorotheus Tyrus, qui ſub Conſtantino Magno vixit in Synopſi de vita & morte Prophetarum & Apoſtolorum, *Primus* (ait) *eſt Simon Petrus Apoſtolorum coryphæus*. Quid? quòd Ioannes [2] narrans Chriſtum in cæna illa tot ſacroſanctis myſterijs plena, Diſcipulorum pedes lauiſſe, à Petro velut à capite incepiſſe refert? Matthæus, Petrum primum omnium Apoſtolorum Chriſto reſpondentem inducit, cap. 19. *Tunc reſpondens Petrus dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia, &c.* In illum autem locum optime Chryſoſtomus, *Qui claues* (inquit) *regni cælorum acceperat, de his, quæ ibi ſunt, iam cõfidit, & pro orbe terrarũ interrogat vniuerſa*. Idẽ de Petro docet Ioã. [2] *Dixit ergo Ieſus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit ergo ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quia tu es Chriſtus filius Dei viui*. Quo etiã loco ſanctè notat Chryſoſtomus [3], *Ideo reſpondit Petrus pro omnibus, quia omnibus præibat dignitate & honore*. Quid plura? Marci 1.16. Lucæ 8.9. Actorum 1.2.5. 1. ad Corinthios 9. & alibi ſæpiſſimè Petrus primus omniũ nominatur, tanquam reliquorum omniũ Primas & caput. Hoc enim (vt memini ſuperius) non minimum argumentum Primatus Petri, ſancti Patres arbitrantur. Nam (vt plurimorũ omittam teſtimonia) Gaudentius Brixianus Epiſcopus tractatu primæ diei ſuæ ordinationis ſic ait; *Nam cum Dominus Ieſus interrogaret Apoſtolos, Vos autem quem me eſſe dicitis? ſolus Petrus omnium credentium ore reſpondit, Tu es Chriſtus filius Dei viui: quid ſtatim muneris acceperit iſta confeſſio? beatitudinem ſcilicet, regniquè cæleſtis glorio-*

2. cap. 14.

2. cap. 6.

3 Lib. 2. in Ioan. cap. 64.

gloriosissimam potestatem. Solus ergo cum loquitur Petrus nequaquam reliquorum credentium fides excluditur, sed congruus ordo seruatur, dum Principi Apostolorũ primus loquenti locus iure defertur. Paulus [4] quoque Emisenus, *Mox* (ait) *Petrus Apostolorum coryphæus, eorundemquè os respondit, Tu es Christus filius Dei viui*. His accedit, quod apud Lucam Apostolorum ἱστοριογράφον legimus. Petri enim Primatum non obscurè declarat, cum in Simonem Spiritus sancti gratiam pretio comparari existimantem, soli illi condemnationem & correctionem tribuit: *Petrus dixit ad eum* (ait [2]) *pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Deinde cum illud Apostolicum Concilium referat, Petrum præsidem, illiusquè caput constituit, *Cum autem magna* (ait [3]) *inquisitio fieret surgens Petrus dixit ad eos &c.* Et rursum, Ananiæ [4] & Sapphiræ fraudem à Petro cognitam, iudicatam, mulctatam scribit, *Dixit autem Petrus ad Ananiam, &c.* & infra ad Sapphiram. *Dixit autem ei Petrus, &c. Petrus autem ait ad illam, &c.* Ex quo scripturæ loco breuiter quidem sed dilucidè insinuat Saluianus [5] Massiliensis presbyter excellentiam Petri, ait enim: *Tunc Princeps Apostolorum Petrus Ananiam & Sapphiram, quia mentiti essent, morte mulctauit.* Ex his igitur omnibus, quæ prolixius forsan, quàm par erat, adduximus, facilè colligitur & Apostolorum & Euangelistarum testimonio, apud quos nihil otiosè aut temerè propositum est, Primatum Petri, excellentiam, & super cæteros collegas Apostolos dignitatis præstantiam planè doceri.

4 Homil. de Christi natiuita. dequè beati Cyrilli Episcopi p̄stantia, & fide. habetur in Conci. Ephesi. 2. parte. tomo 6. c. 13. apud Peltanum.
2 Actor. 8:
3 Actor. 15.
4 Actor. 5.
5 Lib. 6. de gubernat. Dei.

Iam verò quod attinet ad sanctorum Patrum sententias, quas etiam istius maleuola mens requirit, in infinitum profectò excresceret volumen hoc, si illas omnes hic tibi, Christiane Lector, adduceremus. Esset etiam laboris magis quam ingenij opus, & tuo potius abuti otio, quam proposito inseruire videremur, si, quod apud alios fusissimè

fusissimè tractatum inuenies, iterum nos repeteremus. Quapropter cum fuisse tres alias à Romana Apostolicas Sedes orbis Christiani matrices, Alexandrinam, videlicet, Antiochenam, & Hierosolymitanam certum sit, sat esse visum est mihi ad quæstionis huius explicationem subijcere, quæ fuerit illorum Patrum, qui his Ecclesijs olim præfuere, de Primatu Petri sententia. Quorum enim, quæso, magis quam istorum intererat istius rei discussio, qui cum Apostolicis etiam viris successerint, iure optimo Eminentiæ huius, quàm Petro & suis successoribus tantum concedimus, candidati haberi poterant? At nec illorum testimonia producemus singula, nec præterea illa, quæ tanquam minus antiqua reijci possint ab isto; sed vnum, aut alterum, & illud quidem ex vetustissimis eorum desumptum. Itaque ordiamur si placet ab Hierosolymitana Ecclesia, cui (vt Iustinus [2] Imperator aiebat) quasi matri Christiani nominis tantum omnes fauorem impendunt, vt nemo audeat ab ea se se discernere, in qua Iacobus Domini frater primus Episcopus ordinatus est, & in qua martyrio coronatus, quam honore dignam ex more vetustissimo iudicarunt Concilij Nicæni Patres: in qua denique primum Euangelij splendor illuxit, & à qua in omnes gentes eiusdem splendoris radij diffusi sunt. De Sion enim legem exituram, & de Hierusalem verbum Domini prædixerat Isaias. [3] Ab hac tamen (qualis & quãta est) constat Primatum Petri non obscurè agnosci. Namq; vt à primo eius Hierarcha incipiamus, quæ fuerit illius de excellentia beati Petri sententia planè apparet ex Clemẽtis Romani Pontificis epistola 1. ad eundem, cuius sunt verba: *Notum tibi facio, Domine, quia Simon Petrus, qui veræ fidei merito & integræ prædicationis obtentu fundamentum esse Ecclesiæ definitus est, qua de causa etiam Domini ore diuino cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus, cui & pri-*

2 In epistola ad Hormisdam, & Basil. Monac. in vita Euthymij Abbatis.

3 Cap. 2.

mo Deus Pater filium reuelauit. Et quæ sequũtur. Sed & idem Clemens in epist. 2. ad eundem, *Quoniam* (inquit) *sicut de beato Petro Apostolo accepimus, omniũ Apostolorũ patre, qui claues regni cælestis accepit, &c.* Et infra. *Hæc nos familiaritas docebat, & hæc nobis publicitus magister & inseruitor atque ordinator noster Princeps Apostolorum Petrus in Ecclesia prædicabat, exemplum dans, vt & nos similiter faciamus, &c.* Constat igitur ex sententia Clementis Petrum caput esse Episcoporum & Ecclesiarum omnium; & consequenter Hierosolymitanæ item. Nam in illa epistola hoc ille professus est, quam ad Hierosolymitanum Episcopum dabat. & certè ad illum, qui coapostolus erat Petro.

Verum nec ipsorum Hierosolymitanorum Præsulum deficiunt testimonia. Sophronius enim, cuius fides, pietas, modestia, pro suis ouibus cura, in Monothelitas Hæreticos constans animus non semel laudantur, in Con-
2 Act. 13. stantinopolitano Concilio [2] magno sub Agathone Romano Pōtifice, coacto, in quo etiã illius clarissimum nomen sanctis diptychis sanctarum Ecclesiarum inserendum esse Patres decreuerunt, is, inquam, de laboribus & certaminibus, ac peregrinationibus sanctorum Apostolorum Petri & Pauli scribens, de Petro sic ait: *Non exasperari contra peccatores eruditur, illiquè mundi procuratio committitur, & traduntur cælestium thesaurorum claues super cœtum Apostolorũ constitutus est, &c.* Idem docuerat ante Sophronium mille locis Cyrillus Hierosolymitanus item Episcopus, Petrum enim Romanæ Ecclesiæ Præsulem,
3 Cath. 2. Principem Apostolorum excellentissimum appellat [3],
4 Cathe. 6. clauium [4] regni cælorum portitorem, supremum
5 Cathe. 11. Ecclesiæ præconem [5], Principem Apostolorum & re-
6 Cathe. 17. gni [6] cælorum clauigerum. Idem probat Andreas Hierosolymitanus etiam Præsul, qui sub Iustino ij. vixit, in sermone de Petro Apostolo, *Petrus* (inquit) *Apostolorum Princeps, quem Dominus super gregem suum, pastorem & re*

& rectorem constituit, &c. Accedunt ad hæc tanquam firmissima veritatis huius fundamenta, Hieronymi scripta, qui cũ in Hierosolymitana diœcesi degeret, ad Damasum tamen Romanum Pontificẽ frequenter scribẽs: *Cum successore Piscatoris* (aiebat) *& discipulo crucis loquor, Ego nullum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est, si quis in hac arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicunque tecũ non colligit, spargit, hoc est, qui Christi nõ est, Antichristi est.* Non vtique Hierosolymitanam Cathedram, in qua ipse degebat sequitur Hieronymus, sed Petri, quæ Romæ est: non illam, sed hanc, fundamentum Ecclesiæ & arcã Noe, extra quam non est salus, vocat. Et demum, vt omittamus eos, qui huic Ecclesiæ postea præfuerunt Patres, & qui Petri Apostoli Primatum agnouerunt constãter, satis constat Polychronium Hierosolymitanum Episcopum, quòd debitum honorem sancto Petro nõ deferret, sed mendaciter Hierosolymitanam Sedem primam esse dictitaret, Ecclesiæ priuatum esse gubernaculis & vrbe eiectum, vt auctor est Nicolaus primus in epistola ad Michaelem Imperatorem. Hæc ergo fuit de Primatu Petri Hierosolymitanæ Ecclesiæ sententia. Sed nihil mirum si Petro debitus honos à Hierosolymitanis Patribus deferatur. Scimus enim illum tãquam principalem & caput Apostolici Collegij primum illud Concilium post ascensionem Dominicam Hierosolymis coactum celebrasse, illiquè præfuisse, & Matthiam in Apostolum ordinasse, ac testem resurrectionis Christi constituisse [2].

Iam de Antiochena Sede videamus, in qua sanè primùm discipuli Domini pro fide, quam in Christo habebant, vocati sunt Christiani, vt auctores sunt, Ignatius [3], Irinæus [4], & Innocentius primus [5], in qua primum sedit Petrus, post Petrum autem Euodius beatissimus, & Aposto-

2 Actor. 1.
3 In episto. ad Antioc.
4 Lib. 3. aduersus hæreses c. 12.
5 Epist. 18. ad Alexandrum Episcopum.

Apoſtolicus Pater, quam totius Orientis Metropolim
6 Aduerſ.Io an.Gier. fuiſſe docent ex Latinis Hieronymus [6], ex Græcis Theo
7 Lib.5.Hiſto.cap.3. doretus [7], ex Hebræis Hegeſippus [8]: in qua etiam
8 Lib.3.c.5. vt multi ex Innocentio colligunt, primi illi Apoſtolici, quos habemus, Canones editi ſunt, ſed tamen & ab hac ipſa non minus ſacer Petri Apoſtoli Primatus conceditur. De illo enim manifeſtum extat teſtimonium apud Ignatium Antiochenum tertium poſt Beatum Petrum Epiſcopum, qui ad Philadelphenſes [9] ſcribens, Eccle-
9 Epiſt.9. ſiam fundatam fuiſſe à Chriſto ſupra Petrum, docet citans, videlicet totidem ferè verbis locũ Matthæi cap. 16. *Eccleſiam Philadelphiæ* (inquit) *ſaluto in ſanguine Ieſu Chriſti quod eſt gaudium ſempiternũ & ſtabile, maxime ijs qui vnum ſunt cum Epiſcopo, Presbyteris & Diaconis deſignatis per voluntatem Dei Patris per Ieſum Chriſtum, qui ſecundum propriam voluntatem ſuam firmauit Eccleſiam ſuper Petram ædificatione ſpirituali citra humanarum manuum operam, in qua colliſa venti & flumina non potuerunt eam ſubuertere, nec id valeant vnquam ſpirituales nequitiæ, ſed infirmentur virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hęc enim verba nulli alij Apoſtolorum dixit Chriſtus niſi Petro, qui hac vna ratione qui antea vocabatur Simon, à Domino appellatus eſt Petrus, atque is rurſum ex tranſlatione Petra, quemadmodum antiquiſſimi Patres Cyprianus [2], Athanaſius [3], Baſilius [4], & expreſſis verbis Hilarius [5] (quem peruersè interpretati ſunt Magdeburgici [6]) docuerunt. Idem rurſus Antiochenus Epiſcopus Ignatius [7] in epiſtola ad Romanos, veritatem hanc nõ minus indicat. Romanam etenim Eccleſiam mille epithetis exornat, & concludit, *Eccleſiæ ſanctificatæ & illuminatæ per voluntatẽ Dei operãti omnia quæ pertinent ad fidẽ & charitatem Ieſu Chriſti Dei & Saluatoris noſtri, quæ præſidet in loco Romanæ regionis, &c.* Quo loco Ignatius ad implementum fidei in Romana Eccleſia factũ fuiſſe à Deo, nulla alia ratione ſcripſit, niſi quod in illa præfuiſſet fidei fundamẽtũ Petrus, à quo omnia, quæ pertinebant ad fidẽ & charitatem

2 Lib. 1. de vnitate Eccleſiæ li. 1. epiſt. epiſt. 3 lib. 4. epiſto. 9. tract. 2. de habitu virg. ſermon. 3. de patien. & in epiſt. ad Quint.
3 In epiſ. ad Felicẽ Roma. Eccl. P.
4 In ſermo. de pænit.
5 Lib. 6. de Trinit.
6 Vindicatus à Turriano aduerſus illos lib. 2. pro epiſto. Pont. c. 6.
7 Epiſt. 5. & vltima.

tatem Dei plenè tradita & explicata sunt iuxta iniunctum, videlicet sibi munus à Saluatore dicente Lucę 22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, &c.* Idest, illos instrue in fide, & à tua fide fidei suæ dogmata accipiant.

Docuit quoque Primatum Petri antiquissimus Pater Theophilus, sextus Antiochenus Episcopus, qui explicans illud Ioannis vlti. *Et ambulabat Iesus super mare, &c.* Ita de Petro ait, *Denique supra mare ambulabat Iesus, quia nullo pondere peccati grauabatur. Petrus vero supra Petram fundatus, in quo figuratur Ecclesia, in qua boni & mali sunt iuncti, mergebatur, sed Domini est dextera subleuatus, &c.* Ex quo apparet Petri Primatum agnouisse Theophilum, qui vniuersam Ecclesiam, Petrum figurasse testatur. Tandem Anastasius ille Antiochenus Patriarcha (quem vulgo Sinaitem vocant) qui Domnio successit, & de quo illustre illud extat Euagrij [2] Ecclesiastici Historici testimonium) vir in diuinis apprimè eruditus, in moribus autē ac vitæ formula disciplinæ exactę, qui Iustiniano Imperatori à via regia dogmatum digresso, & per tramitem minus tritum Apostolis & Patribus ingresso constantissimè restitit, is, inquam, Primatum Petri in suis scriptis non obscurè prædicat. Cum enim Christum Saluatorem verè Deum ac verè hominem fuisse doceat, *Verba* (inquit [3]) *hæc & eorum intelligentiam nobis enunciauit Doctor Petrus Apostolorum omnium* κορυφαῖος *dicens Christum passum fuisse pro nobis carne, tametsi prius esset confessus manifestè esse filium Dei, &c.* κορυφαῖος vero, idest superior & reliquis Apostolis eminentior. Denique vt in illa Ecclesia minus morer, quæ siquid splendoris & dignitatis assecuta fuit, id omne inde habuit, quod ab eodem beatissimo Petro fundata fuerit, satis colligitur quanto in honore & reuerentia Apostoli sacrosanctam memoriam habuerit ex epistola Leonis Romani Pontificis ad Maximum An-

2 Lib. 4. c. 39. Niceph. lib. 18. cap. 44. & lib. 17. cap. 30.

3 Lib. 4. de passio. & impassibili Christi.

2 Epist. 14. 15.

tiochenum, in qua ea ratione persuadet Maximo, vt se strenuè opponat erroribus Nestorij & Euthychetis, nec sinat in Orientalibus Ecclesijs Nicænos Canones ab Hæreticis contemni, & Euangelio insultari, *Quod meminisse debeat* (inquit Leo) *doctrinæ, quam Beatissimus Petrus præcipuus Apostolorum omnium per totum mundum vniformi quidem prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena & Romana vrbe fundauit*. Idem comprobant epistolæ plures

2 Epist. 14. 15. Innocentij 2 primi, quibus Antiochenam Ecclesiam ad pacem & reconciliationem cum Romana admittit. *Nam missis Legatis* (inquit) *ita pacem postulauit ac meruit, vt & Euagrianos suis ordinibus ac locis intemerata ordinatione, quam acceperant à Memorato susciperet*. Et ad Alexandrum tunc temporis Antiochenum Metropolitem: *Quam grata* (inquit) *mihi, quam pia, quam necessaria legatio à tua Sanctitate frater charissime, ad nos directa fuerit, gestorum ipsorum replicatione cognosces, &c.*

Postremùm, vt de Alexandrina Sede agamus, quam in Ægyptum, Pentapolim, & Libyam iuxta antiquam consuetudinem τὴν ἐξουσίαν ἔχειν, decreuit sancta vniuer

3 Can. 6. c. mos antiquus. 65. dist. salis Nicæna synodus 3 prima, in qua ex Thebaide, & tota Ægypto innumeros Martyres pro Christo passos fuisse testis est Dionis. Alexandrinus ad Fabium Antiochenū scribens: Quæ Ptolomæorum Regum industria ad Christum vsque Philosophiæ & omnium optimarum artium studijs excelluit. A Christi vero ascensione sanctissimis & doctissimis hominibus abundauit, qui politiori doctrina (vt in Panthæno & Clemente, narrant Euseb. & Nicephorus) mire instructi, sacrarumque litterarum studio

2 Epist. 50 ad omnes Episcopos Galliarum ī tomis Cōciliorum. probe exercitati Alexandrinam Ecclesiam frequentarunt, & antiquæ Apostolicæ doctrinæ semina in animis hominum inseruerunt, quæ denique inter ipsa Euangelij principia Marcum Euangelistam (vt Leo 2 Magnus ait) beatissimi Petri Apostoli discipulum in omnibus

vtique

vtique doctrinis sui Doctoris magisterio consonantem habuit fundatorem, quæque postea recentioribus temporibus Athanasium, Theophilũ, & proxime Cyrillum probatissimos Præsules habuit. In hac igitur Patriarchali Sede horum trium Præsulum, quorum mentionẽ fecit Leo, de Primatu Petri sentẽtiam exquiramus. Nec enim credibile est, illos suo iuri quidquam renunciaturos, nec in dignitate cõseruanda antiquioribus illius Ecclesiæ Episcopis vllo modo cõcessuros. Scimus autẽ Alexãdrinos Antistites iniquo animo tulisse iam olim Anatolij Constantinopolitani arrogantiam, qui contra Nicæna decreta debito honore Alexandrinam Ecclesiam spoliare tentabat[3].

3 Leo P. in epist. 51. ad Anatolium in tom. Cõciliorum.

Igitur Athanasius Magnus Petri Apostoli Primatus testis quidem est locupletissimus, & quo vix alium vsquam maiorem reperiemus: is enim non solum Alexandrinam Ecclesiam, cui ipse præerat, verum & Antiochenam item, de qua nunc egimus, Romanæ Ecclesiæ subiectam esse censuit. Nam cum ab Antiocheno Concilio damnatus esset, quasi competentius tribunal quærens Romanos Pontifices appellauit, illorumque iudicio tantum causam suam cognosci voluit. Huius aũt celeberrimæ Historiæ cum frequens sit apud auctores mentio, atque alibi de ea nobis agendum sit, nunc repetere non erit necesse. Et vero, nec aliquod præterea aliud testimonium adducendum ex Athanasio. Illũ enim (vt opinor) tanquam plus nimio in hanc sacrosanctam Sedem Romanam propensum, minus idoneum testem calumniabuntur isti, ex cuius tamen scriptis colliget perspicue Christianus Lector, qua reuerentia & honore memoriam Petri, atque eius Sedem prosecutus sit.

Iam ergo de Theophilo, quem secundo loco citauit Leo Pontifex, videamus. Is ad Ægyptios Episcopos scri-

bens Episto. Paschali 3. cum de morte Christi ageret, in qua simul & diuinitas in impaßibilitate, & in paßione humanitas apparuit: *Dominus* (inquit) *gloriæ in ipsa paßione monstratus est impassibilis diuinitatis permanens in maiestate & carne paßibilis iuxta beati Petri, qui Apostolici Collegij caput fuit, princeps, & rector, repertus, eloquium*. Idem Theophilus Alexandrinus (falsò etenim Antiocheno vulgò adscribitur illud opus) in Euangelium Marci super illud: *Et cum venisset Iesus in domum Petri, inuenit socrum eius febricitantem, &c. Socrus Petri* (ait Theophilus) *Synagoga est, filiaque eius Ecclesia, quam regendam Petrus Apostolus accepit*.

Magni Cyrilli Alexandrini tertio loco suffragiũ accedat; & quoniam in eius scriptis (quorum plurima extant, & plurima item desiderantur) difficilius multo erit paginam aut lineam inuenire, quæ Petri Primatum non proclamet, quam quæ illum non testetur dilucide, paucissimis testimonijs hinc delibatis ad alia transibimus. Cyrillus igitur super illud: *Vos autem quẽ me esse dicitis, &c. Petrus* (inquit) *vt caput & Princeps cæterorum primus exclamat, Tu es Christus filius Dei viui*. Idem Cyrillus infra, *Respondit Petrus* (ait) *pro omnibus, quia omnes præibat dignitate & honore*. Idem deniq. Cyrillus (vt adnotat Diuus Thomas Aquinas in opusculo contra Græcos) Petro sceptrum totius Orbis commissum esse profitetur.

Quòd si horum Patrum sententias, vti recentiores, respuit Vvaramundus, audiat Petrum Alexandrinum item Episcopum, Cyrillo, Theophilo, & Athanasio antiquiorem. Qui cum ad patientiam in martyrij certamine adhortaretur fideles exẽplo Stephani & Iacobi, qui pro Euangelio libenter occubuerunt, habendã probat, ac de Petro loquens idipsum confirmat, *Petrus* (ait[2]) *Apostolorum primus sæpè comprehensus & custodiæ traditus, ignominiaque affectus, postremò Romæ crucifixus est*. Et is rursum cum perseuerantiam in sustinendis pro Christo pœ-

2 Can. 4.

nis persuadere conetur, id non minus agit Petri Apostoli exemplo, de quo ait [3], *Petrus quoque Apostolorum Princeps eis in mentem reuocetur, qui iam in custodiam erat coniectus, & traditus quatuor quaternionibus militum ad eum seruandum,* & quæ sequuntur. Denique his omnibus (quos citauimus) Origenes antiquior, & ipse item Alexandrinus Catechistes Petro summam rerum de pascendis ouibus traditam [4], & super ipsum fundatam esse Ecclesiam infinities docet, ipsumquè Ecclesiæ esse caput agnoscit [5].

3 Can.vlt.

4 Lib.5. in epitto. ad Rom.

5 In Matth cap.16.

Hæc certè, quæ attulimus planè probant, quæ fuerit harum Patriarchalium seu Metropolitanarum Sedium de Primatu Petri sententia; quem tamen multò antea, satis docuerat Anacletus Clementis successor in epistola tertia ad omnes Episcopos. In illa enim ordo & discretio Episcoporum continetur, & sacrosancta Sedes Petri cælesti beneficio prima omnium pronunciatur, ea videlicet ratione, quia à Petro fundata est, omnium Apostolorum capite, principe, & coryphæo, fidei petra ac fundamento. His enim & alijs nō dissimilibus appositis Petrum insigniunt sacri auctores. Quod etiam & Constantinus Imperator agnouit, qui patrocinio & præsidio suo Primatum Petri custodiri voluit. Non enim nouè constituit, aut stabilit, nec hoc necessarium erat, vt magistri isti mendaces falsò docent. Quoniam, vt auctor est idem sanctus Anacletus, à Deo ipso Petri Primatus est institutus, qui Petro dixit [2], *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.*

2 Matt.16.

Ex quibus omnibus satis apparet, quo fundamento Gregorij xiij. Pontificis Maximi innitantur verba illa, quæ tu vanissimè criminaris. *Humani generis conditor & redemptor, & summus, æternusquè Sacerdos in cælis regnans sanctam Ecclesiam suam Catholicam beato Petro Apostolorum Principi, ac eius successoribus Romanis Pontificibus regendam tradidit, &c.*

Hoc enim verissimum esse, satis probatum est & Chri-

ſti teſtimonijs, & Apoſtolicorum hominum conſenſu, & beatiſſimorum Patrum ſententijs. Verum hæc ſacroſanctæ Scripturæ teſtimonia, quæ ſolum pertinaci impudentia negari poſſunt, quoniam tu vitiata, & corrupta eſſe dicis, id te ex Hæreticorum ingenio comminiſci, lectorem moneamus. Tam enim fuit ſemper Vatinianum ac pluſquam nouercale Hęreticorum odium in Catholicos, vt ſacrarum literarũ patrocinio ceu munitiſſima, tutiſſimaquè arce illos deſtitui curauerint, illarum auctoritatem & vim infringere & eneruare contendentes, quà fidem detrectando, quà vanis artibus certitudinem eludendo: de Saturnino & Baſilide Prophetarum oracula euertentibus ſcripſerunt Epiphanius [3] & Irinæus [4]: de Cerdone, qui vniuerſam legẽ veterem repudiauit, ac Prophetas mẽdaces fuiſſe dixit, tradidit Theodoretus [2]: de Apelle ſimili errore deluſo Euſebius, & Tertullianus [3]. Theodorus [4] Mopſueſtenſis vanè prędicabat de Chriſto ac religionis Chriſtianæ myſterijs in veteri teſtamento nihil contineri, Bogomilli in Oriente, omnes Moſaycos libros (referam enim Euthymij verba) vnà cum Deo qui in ipſis memoratur viriſquè iuſtis qui ſunt illi chariſsimi, reliquos item omnes qui poſtea ſcripti ſunt tanquam à Diaboli aſtutia compoſitos reijecerunt. Albigenſes in Occidente idẽ ſcelus tentarũt. Denique Mõtani, Priſcillianiſtæ, Pſaliani, eodẽ furore perciti ſacræ Scripturæ teſtimonia calumniosè infringere curarunt. Quid igitur miramur ſi iſtorũ ſuccedanei Lutherani & Caluiniſtæ ſimile audeant facinus? ſi ferè vniuerſa ſacra Biblia proſcripſerint? ſi poſt illos vtriuſque Teſtamenti libros, quos iam partim quaſi apocryphos reiecerunt; partim velut incerti auctoris & auctoritatis ſuſpectos reddiderunt, reliquos omnes à Republica Chriſtiana exulare iuſſerint? Tandem ſi ex illorum ſecta Anabaptiſtæ, Dauidici, Hermanęi, Trinitarij, Suencfeldiani,

3 Cõtra hæres. 21.
4 Lib. 1. c. 20. 22. 23. contra hæres.
2 Lib. hæret. fabul.
3 Lib. de pſcript.
4 Ex Conci. 5. Conſtantinop.

feldiani, Libertini, Athei denique prodierint, qui sacrosanctam Scripturam fatuam, Biblia cõficta, delirium Euangelium prædicent? cum tamen ipsi miserrimi deceptores nihil frequentius in vita commiserint, quàm temeraria audacia, manifestissimis corruptelis, deprauationibusquè omnia mutilare, adulterare, corrumpere tam in absurdissimis suis versionibus, quàm in pestiferis commentarijs. Sed, vt absoluamus hunc locum, subijcere libet, quæ Diuus Augustinus libro vndecimo contra Faustum Manichæum, capite secundo ad istorum malitiam & calumniam detegendam, scripsit. Ait enim, *Vsqueadeo inuicta sunt, quæ aduersus vos de diuinis codicibus proferuntur, vt non sit aliud, quod dicatis, nisi eos esse falsatos. Quæ auctoritas aperiri? Quis sacer liber euolui? Quod documentum cuiuslibet scripturæ ad conuincendos errores afferri potest? Si hæc vox admittitur, si alicuius ponderis existimatur.* Et paulo post, *Quod si alius simili infamia, sed tamen qua tua duritia confringitur, existat, & dicat, immo illud, quod pro te sonat, falsum est, hoc autem quod contra te est, verum est, quid acturus es, nisi fortè alium librum prolaturus, vbi quicquid legeris secundum tuam sententiam possit intelligi. Hoc si feceris non de aliqua eius particula, sed de toto audias contradicentem & clamantem, falsus est. Quid ages? Quò te conuertes? Quam libri à te prolati originem? Quam vetustatem? Quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conaberis, & nihil valebis & vides in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie & tot Populorum confessione fundatur.* Hactenus Diuus August. cuius vel longiorem sententiam protuli, vt ex illa consideret pius Lector, quot ab seculo nostro annis detectæ sint à sanctis viris fraudulentæ Hæreticorum artes.

Rectè conuenire Pont. Rom. quod Dominus Hierem. mandauit cap. ij. Demonstratur illorum hominum vita & mors, quorum testimonio aduersus Romanæ Sedis auctoritatem vtitur Vuaram. Detegitur illius mendacium de Albano Duce Hispano. Cap. VIII.



SEQVITVR quod tam crassè, quam malitiosè post hæc obijcis; ais enim, *Postremò Pontificibus Romanis mandatũ dicit, vt quid in terris plãtari, euelli, ædificari, aut destrui sit opus, decernant, iudicentquè ipsi. Atqui hoc Petro nunquam mandatum est, sed Prophetæ illi Hieremiæ olim.* Opinor certè neminem adeò fore cæcum, aut insanum, qui tam vafri animi commenta æquus audiat, seu volens perlegat. Quis enim ægro non ferat animo rapacissimum lupum vestimentis ouium simulari? Nam vt Vincentius Lirinensis ait aduersus prophanas hæreseon nouationes scribens; *Nihil aliud est vestitus ouium, nisi Prophetarum, & Apostolorum proloquia. Nulli alij lupi rapaces, nisi sensus Hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & quaquà possunt, Gregem Christi dilacerant.* An enim tu, vane criminator, nouum & inauditum esse tam audacter prædicabis potestatem Romani Pontificis significari posse illis verbis, quæ quidem cũ ingenuè fateamur Hieremiæ [1] olim à Domino fuisse dicta; Ecclesiæ tamen Catholicæ capiti & rectori, idest Romano Pontifici vnicè conuenire manifestissimum est? Audi rogo antiquissimum Patrem Ancyræ [2] Episcopum Theodotum, qui aduersus Nestorium Hæreticum

1 Cap. 1.

2 Tomo 2. Cóc. Ephe. apud Peltan.

ticum disputans sic ait, *Neq. genus hoc medēdi, nouum est, sed antiquum & iam inde ab initio vsurpatum. Hac enim ratione sancti Patres venerandam hanc Ecclesiam hactenus curarunt & conseruarunt. Obtinet Sacerdos gladium non vt lædat, sed vt medelam afferat; atque hoc ipsum superna gratia insinuans quondam Hieremiam affabatur: Constitui te hodie super Gentes & supra regna, vt euertas & destruas & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Nec enim pietas commodè inseri potest, nisi malitia prius fuerit extirpata.* Hactenus Theodotus. Quem vides Scripturæ sacræ prædicta verba non de illius tantum Prophetæ, sed de Sacerdotum etiam potestate interpretari constanter. Quapropter iure optimo recentiores Theologi Romanis Pōtificibus minimè dissentanea esse verba illa meritò existimarunt. Petrus enim Cluniacensis: *Ecclesia* (ait) *habet super ipsos Imperatores imperium, vnde ei sub figura prophetici nominis dicitur, Constitui te super Gentes & regna, vt euellas, destruas, disperdas, dissipes, ædifices, plantes.* Ipsi vero Romani Pontifices potestatem suam, vel antiqua consuetudine eisdem verbis declararunt, vt fecit Innocentius tertius Othoni quarto Imperatori scribens [a] cum ait. *Potuisses prærogatiuam Sacerdotij ex eo potius intelligere, quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo, non Regi, sed Sacerdoti, non de Regia stirpe, sed de Sacerdotali prosapia descendenti. De Sacerdotibus (inquam) qui erant in Anathot, Ecce constitui te super Gentes, & Regna, vt euellas & dissipes, ædifices & plantes.* Idem quoque Innocentius in epistola ad Colaiannem Regem Bulgarorum, *Summum* (inquit) *Apostolicæ Sedis & Ecclesiæ Romanæ Pontificem in beato Petro, Dominus sibi Vicarium ordinauit; & super Gentes & Regna cōstituit, euellendi, destruendi, disperdendi, dissipandi, & ædificandi, ac plantandi ei conferens potestatem.* Idem obseruauit Bonifacius Pontifex viij. in cap. vnam sanctam de maiorit. & obed. Idem Ioann. xxij. in cap. 1. de consuetudine inter communes, vt alios omittam. Denique cum hunc Hieremiæ locum de Christo intelligendum esse doceant Sancti Patres, vt auctor est in eum locum Hieronymus his verbis, *Multi hunc locum*

[a] cap. solit de maior. & obed.

cum ſuper perſona Chriſti intelligunt. Hieremias enim interpretatur excelſus Domini, qui deſtruxit regna Diaboli, quæ ſibi in montis oſtenderat excelſo, aduerſarias perdidit poteſtates delens chirographum errorum in cruce. Cyrillus quoque Alexandrinus in Ioann. lib.2 cap.71. & eleganter (vt alios omittam) Idacius Clarus Hiſpanus in libro aduerſus Arianum quendam Hæreticum nomine Vvarimadum (nec me comminiſci quidquam putes, quaſi tibi gentilem hunc finxerim: ſic enim ſcriptum inuenies apud Idacium, quem nuper Pariſijs excuſſit Margarinus de la Bigne Doctor Pariſienſis quinto tomo ſuæ Bibliothecæ.fol.374.) cum inquam Chriſto Saluatori noſtro non inconuenienter verba illa applicent ſancti Patres, quid obſtat, rogo, quominus hæc eadē Petro Chriſti ſucceſſori, & Gregorio xiij. Vicario Chriſti attribuant fideles?

Sequitur, *Sin autem Cæſarum, Regum, aliorumquè quamuis religioſorum Principum exemplo libebit recognoſcere plenæ ſunt Hiſtoriæ Federicum & Ludouicum Cæſares cum iniquitatem iſtius potentiæ experti eſſent, legimus non modo abuſum eius à ceruicibus ſuis auertiſſe, ſed etiam vſum præciſè negauiſſe, Philippum Regem Galliæ cognomento Pulchrum Bonifacij viij. iniuriam vltum ſeueriſsime. De Henrico viij. Angliæ Rege nihil dicturi ſumus, cuius facta quæ bona ſunt obſcurari malis ac fermè deleri facilè contenderis. Nihil de alijs Regibus, qui fructum pietatis ſuæ in Eccleſias Chriſti memoria noſtra contulerunt, &c.* Hic ego certè Vvaramunde, non male Iſocratis illud vſurpē πόλλοις γὰρ ἡ γλῶττα προτρέχει τῆς διανοίας. Videris enim (vt iudico) non obſcurè ſentire pauciſſimos quidē ſeculares Principes extitiſſe, aut penè nullũ, qui ſe Eccleſiæ Romanæ obedientes, obſeruantesquè, aut eiuſdem Sedis pœnarũ religioſos præſtiterint. Quare maximè profecto, labilis memoriæ es Vvaramunde, ſi multorum, qui nobis nunc occurrunt, tibi excidit recordatio: ignorantia tua ſumma eſt, ſi quæ apud auctores huiuſce rei extant exempla non legiſti: perfrictiſſima frons ſi dolo & calumnia veritati tenebras offundis. Et

vero,

vero,ſaltem qui nunc omnipotentis Dei beneficio Mundo præſunt,proiectiſſimæ inconſiderantiæ tuæ occurrere facilè poſſent. An enim tu potentiſſimum,inuictiſſimumquè Hiſpaniarum Regem Philippum ij.huius Romanæ Sedis obſequentiſſimum filium eſſe, impudenter negabis? illius obſeruantiam, religionem, pietatem in hanc Sedem, cuius (Deo ſit gratia) tot quotidie apparent exempla, calumniaberis? Galliæ nè Regem Chriſtianiſſimum Henricum à ſui cognominis antiqua poſſeſſione tuus liuor deturbabit? Quid Sereniſſimum Poloniæ Regem Stephanum commemorem? An non humillimum ſe eſſe profitetur huius ſacroſanctæ Romanæ Sedis filium? Denique (vt de alijs Principibus taceam breuitati conſulens) Auguſtiſsimus eiuſdem huius ſacri Romani Imperij Rodulphus Imperator,nulli veterum Imperatorum pietate ſecundus, nulli religione inferior, propenſiſsimum animum ſuum in hanc Sedem Catholicam non nè profeſſus eſt ſemper? nonnè illius ſanctis monitis ac præceptis obſequentiſsimum ſe quotidie præſtat?

Iam ſi antiqua deſiderabas exempla; An non à magno illo Conſtantino tot recenſere poteras,quot ne multis quidem voluminibus poſſent contineri? Et certè de ſolius Germaniæ veſtræ veterum Principum in fide & religione conſtantia,atque erga Romanos Pontifices obſeruantia libellus extat à Lupoldo[a] Bemburgio ſcriptus in quo hoc tantum argumentum, etſi breuiſsime tractat. At cum infinita propè in hanc rem paſsim reperiantur exempla, contineri non poſſum quin vel pueris notiſsimum illud tibi in mentem reuocem, quod videlicet de Longobardorum Rege narrant Hiſtorici. Ille Romani Pontificis indignationem ſolo dicto interminatam pertimeſcens (non enim vi, non armis, non minis repreſſus eſt,) à ditione Romana, cuius

[a] Excuſus Pariſijs anno 1540.

ius iam plures vrbes ceperat, ſtatim exercitum auertit: tanti nimirum æſtimabat barbarus Rex Romanę huius Sedis ſacroſanctam auctoritatem. Huic verò innumera, quæ frequenter occurrunt, adiungere, & eorum commemoratione lectorem onerare eſſet abſurdum, maximè cum in manibus omnium proſtent Hiſtoriæ.

Quæ vero a te, Vvaramunde, aduerſus nos hoc capite adducta ſunt, proculdubio reſponſione vlla non indigēt. Federicum enim & Ludouicum Cæſares (ſi Deo placet) Philippum Regem Galliæ cognomine Pulchrum, & Henricū viij. Regem Angliæ, Catholicæ Eccleſiæ rebelles, Chriſtianiquè nominis immaniſſimos hoſtes in ſcænam producis: atqui eadem fere ratione Neronem, Seuerum, Maximinum, Decium, Diocletianum, & ſi qui fuere alij Eccleſiæ perſecutores, Ethnicos & infideles omnes Principes commemorare poſſes. Nam Federicum quidem non aliter quàm ſi fuiſſet Turca aut Saracenus, Romanis Pontificibus, toti Italiæ, Catholicæ Eccleſiæ, infeſtum fuiſſe auctores ſunt Hiſtorici [3], *O impietates* (vnus eorum [4], exclamat) *Federici ſecundi planè indigni nomine Cæſaris fauiſſe dicitur Saracenis, maximus perſecutor eccleſiaſticorum.* Huius autem egregij viri epitomen vitæ, quoniam mirificè reddidit & illi & poſteris beatus Iordanes Botergæ ortus in Saxonia, ſecundus poſt Dominicum, Prædicatorum generalis magiſter, illius hiſtorię verba quamuis prolixiora adducere non grauabor. *Acceſſit aliquando Iordanes* (inquit [2]) *ad Federicum Imperatorem viſendi eum gratia, apprimè Federicus virum Dei diligebat, colebat, venerabaturquè, data redditaquè ſalute, tandem conſedere ambo: Verum poſt multa verba familiariſſima, diu conticuere: at beatus Iordanes ad Cæſarem dixit, Plurimum Cæſar miratus ſum, quod abs te minima de his, quæ dicuntur per diuerſas Prouincias fuerim interrogatus, cum ſcias nos continuò per omnem ferè Chriſtianitatem diuagari, & ſcire qui rumores audiuntur, quæ de te fama percurrat. Reſpondente Cæſare ſe habere curſores, veridarios,*

3 Blond. de geſt. Vene.
4 Vuicel. in epit. Rom. PP.

2 Leander Albertus Bononiēſis apud Surium.

redarios, nunciosque per orbem terrarum, & in curijs Principum, ex quibus cognoscere, intelligere, & omnia, quæ fiunt, ad amussim scire posset, dixit Iordanes: Christus orbis terrarum Dominus, licet omnia adhuc in humanis agens sciret, tamen à discipulis de se quærebat dicens, Quem dicunt homines esse filium hominis? Tu quidem Imperator homo es, & multa quæ de te dicuntur ignoras, quorum scientia tibi, imperioque tuo plurimum conduceret. Fertur enim per Prouincias quòd bona Ecclesiarum veluti tua temerarie exigis, cum sint sacris initiatorum & pauperum contrectas, ac pro libito exponis, iustas ac rectas sententias contemnis, procuras auguria, Iudæis ac Saracenis plurimum faues, optima Ecclesiasticorum consiliariorum aspernaris consilia, Pontificem Maximum, Christi vicarium, Petri Apostoli legitimum successorem, totius Reipublicæ Christianæ moderatorem, omniumquè nostri parentem, tibi ac omnibus Principibus in spiritualibus præcedentem contemnis. Hæc certè Cæsar plurimum de tua dignitate detrahunt. Sicque eum in multis familiariter corripiens Valedicens æquè vt antea charus Cæsari inde abijt. Hactenus Historia Iordanis de Federico, qui tādem a Romana Sede, quam iniquè persequebatur, imperio priuatus [1], belloque profligatus est, & a Manfredo filio ex ancilla concubina suscepto, quem Tarento præfecerat, cum leuiter ægrotaret, compressis faucibus strangulatus. [2] Igitur hunc tu nobis honoris causa nominas? huius testationem ad faciendam fidem tanquam oraculum adsumis? Et verò vel cuius flagitiossimi hominis sententia potestas huius Romanæ Sedis non negatur, & quod Vvaramundus Petro Apostolo negari vult, Romanis ille Pontificibus cōcedit: scripsit enim in hæc verba: *Fatemur in spiritualibus Roman. Pontif. collatam potestatem, vt quantuncumque (quod absit) sit ille peccator, quod in terra ligauerit, sit ligatum in cælis, & quod soluerit, sit solutum.* Iam de Bauaro & Pulchro. Ille quidem post patratam rem omnium longè nefariam, sed cæteris suæ vitæ partibus respondentem, (electum enim in Antipapam Petrum [3] Corbariensem ordinis Minorum, Agri Rheatini rusticanū hominem, debita Romano Pōtifici reuerentia veneratus [4] est,) vt scelestum religionis hostem, adulterinumque Imperatorem decebat (ita illum vocant Historici) [5] miserrimè interijt.

flagitiosis-simi

1 Cap. ad Apostolicę de senten. & re iud. lib. 6.
2 VVicel. & Plat. in vita Innocent. 4. Blondus Vincent. Antoninus, Sabellicus, Naucler⁹, Trithem. Paulus Aemilius & reliqui Historici.
3 Extat istius Petri cō fessio quā cum hæresis & schismatis abiuratione fecit pręsēte Ioān. xxij. in Regest. Card. de Arag.
4 Blōd. decade 2. lib. 9.
5 Blond. dicto loco.

rijt. Suborta enim veneni ſuſpicione, cum vomere non poſſet, venatum profectus eſt, vt motu ſtomachum excitaret, & cum in vrſum ingentem incidiſſet, illum velociſſimè equo citato appetens, præcipitatur, & corpore grauiter illiſo moritur [1], vt ſic gemina morte, & veneno, & præcipitio, hominibus & Deo pœnas daret: vtriſque enim ille pariter vixerat iniurius: cum tamen prius à Clemente ſexto Pontifice Romano (conſtat ex authentico condemnationis proceſſu, qui in bibliotheca illuſtriſſimi Cardinalis Guilelmi Sirleti Romæ habetur) imperio priuatus eſſet.

1 Roſieres tomo 5. ſtemm. Lotaring. & reliqui Hiſtorici.

Philippus vero Pulcher quamuis principio Pontificis legatum ſumma leuitate (vt ait Blondus [2]) coniecerit in vincula, poſtea vero, Narbonēſi Archidiacono Pōtificium anathema denunciante, atque ſe eiuſdem Apoſtolicæ Sedis nomine populos à fide Regia liberaturum interminante, niſi Epiſcopum remitteret, obedientem ſe protinus dicto præſtitit [3]: & poſt Bonifacij mortem cenſurarum abſolutionem, ac regni reſtitutionem à Benedicto xj. petijt [4] & obtinuit; tantum abeſt, vt nullius momenti poteſtatem Pontificis Romani duceret. Huius vero diſſidij cauſa, ſubſecuta incommoda, iuſto Dei cōſilio eueniſſe credendum eſt. Nec enim negamus in hanc ſacroſanctā Sedem humano errore, & propter ſcelera Populi indignè aliquos collocatos fuiſſe. Dominus [5] enim regnare facit hominem hypocritam propter peccata Populi. Quod nulli mirū eſſe debet, cum in Apoſtolico Collegio duodeno vnus præuaricator repertus fuerit: multum autem intereſt hominis flagitioſam vitam deteſtari, aut in ſacram & Apoſtolicam dignitatem impiè, & hæreticè inuehi. Monebat quidem Iudæos Chriſtus, vt legē Moyſis Scribis ac Phariſæis doctoribus, obſeruarent, ipſorū autem opera praua, corruptiſſimoſq; mores deteſtarētur. Et Auguſtinus [6] eodē ſcripturę teſtimonio blaſ-

2 Lib. 9. Decad. 2.

3 Blond. & Plat.

4 Volaterr. lib. 22. Anthropolog.

5 Iob. 34.

6 Li. 2. cōtra literas. Petiliani Donatiſtæ.

blaſphemas Hæreticorũ linguas ſeueriſſimè obiurgat & compeſcit in hæc verba: *Verumtamen ſi omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſsimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit aulæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet? Quare appellas Cathedram peſtilentiæ, Cathedram Apoſtolicam? Etſi propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, nunquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos (de quibus ait, Dicunt & non faciunt) Cathedræ in qua ſedebat, vllam fecit iniuriam? non nè illam Cathedram Moyſi commendauit, & illos ſeruato Cathedræ honore redarguit? Hæc ſi cogitaretis non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis. Sed quid eſt aliud quam neſcire dicere, & tamen non poſſe niſi maledicere?* Hæc Auguſtinus.

Tandem quòd tu Henricum Anglum aduerſus nos producas teſtem, minus miror: alumnum enim veſtrum, ſodalem intimum, & congerronem arctiſſimum producis. Atqui dum illum [1] perditorum hominum conſilia non abſtulerunt, dum antiquiſſimam gentis ſuæ fidem puram ſeruauit, dum in debito ſe officio cõtinuit, Eccleſiam tum Catholicam Romanam gladio protexit, Iulium Pontificem à Gallorum armis oppreſſum erexit, Clementem in Vrbe detentum adiuuit, &, quod in Rege maius eſt, [2] Eccleſiæ Romanæ fidem orthodoxam calamo tutatus eſt; tunc ille DEFENSORIS FIDEI titulum honorificentiſſimum ab eadem Romana Eccleſia [3] ſibi & ſucceſſoribus ſuis iure optimo meruit habere: tunc inter catholicos Principes belli & pacis arbiter extitit: tunc bonis & fideliſſimis ciuibus abundauit. Sed poſtquam inſano ſimul amore & offenſione grauiſſimè laborauit, & illi ſatisfacere, hanc autem vlciſci voluit, probatiſſimæ & nobiliſsimæ vxoris primùm, deinde alterius repudio, aliarumque duarum cædibus pollutus à maiorum ſuorum religione defecit, & veſtra deliria ſequutus, nullũ deinceps omiſit ſcelerum genus. Spoliauit enim templa, ſacra vaſa conflauit, cœnobia euer-

1 Iouius, Georg. Lilius, Surius, & reliqui illius temporis Hiſtorici.

2 Roffen. in principio libri cõtra Luther.

3 A Leone X. in extrauag. quæ incipit. Ex ſupernæ miſericordiæ.

tit, innocẽtissimos homines trucidauit, crudelissimoquè martyrio affecit, sanctorum ossa & cineres in Tamesim proiecit, Ecclesiæ redditus & latifundia in fiscum redegit, & vt competẽtius expleret insanam auaritiam suam, & sacerdotiorum decimas raperet, & absorberet, se caput Ecclesiæ Anglicanæ (lege de hoc publicis comitijs sancita [1]) appellari temerariè iussit. Vexilla tandem sub quibus strenuè militauerat (vt Iulianus alter) transfuga deseruit; & eò miseriarum gentem olim pijssimam demersit, vt (maximo Catholicæ Ecclesiæ dolore) nihil ferè iam restet in Anglia, quod Satanas, atquè eius ministri non possideant. Hæc ergo sunt, Lector Christiane, probatissimorum hominum, pientisimorumquè Principum exempla, quibus istius admonitio, tanquam solidissimis basibus innititur.

[1] Ann. 1535. ad tertium diem Nouemb.

His vltimo loco (extremum enim & insignisimum audaciæ suæ documentum exhibere voluit) adiungit Henricum II. Galliarum Regem, Ducem item Albanum Hispanum Magnatem. De Henrici Regis causa satis superquè alias & ab alijs dictum arbitror. De Albano verùm Duce liceat mihi repetere quod ait: *Extat* (inquit) *lingua Hispanica libellus elegans a Ferdinando Toletano Duce Albano scriptus, quo Pontificiam auctoritatem non secus exagitat, quam si a Protestantibus (vt vulgo vocantur) Germaniæ, aut ab Hugonottis Galliæ didicisset*. Hoc te mendacisimè Albano Duci, Principi Catholico & Romanæ Ecclesiæ obsequentisimo imposuisse, cum omnibus notum sit, tum maximè Hispanis, tam turpi vanitate detecta, tua patet incredibilis impudentia. Albanum enim Ducem probè nouimus, & qua fuerit pietate & religione in hanc Sedem, satis habemus perspectum. Verum tu, Vvaramunde, imaginem patris tui refers. *Cum loquitur mendacium* (ait Dominus) [2] *ex proprijs loquitur: quia mendax est, & pater eius*. At nè quis existimet, artis huius auctorem Hæreticum istum esse;

[2] Ioan. 8.

per-

peruetuſtam eſſe hanc Hæreticorum omnium conſuetudinem diſcat. De quibus B.Ioannes [1] Maxentius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ante mille fermè annos (à recentioribus enim ordiri libet) in epiſtola ad Hormiſdam Pontificem ita ſcripſit: *Nam cum ſuæ peruerſitatis Hæretici nequiuerint reddere rationem, ad maledicta conuertuntur, & propria in eos mala traijcientes, quos prauitati ſuæ ſentiũt inimicos, aditum ſibi per hoc ad decipiendos ſimplices, exiſtimant aperiri. Agunt enim omnia callide, quo infamando & obtrectando Catholicis, ſuam valeant tenere turpitudinem, fingẽtes & aduerſus eos quædam ſcripta ſub eorum nomine qui viddentur in Eccleſia eminere, quatenus omnium animum contra hos facilè valeant concitare.* Hactenus Maxẽtius. Ante Maxentium autem annis propè ſexcentis, Clemẽs Romanus Simonem & Cleobium ſub nomine Apoſtolorum & Chriſti, libros compoſuiſſe teſtis eſt: quod etiam ſuperioribus temporibus ab alijs Hæreticis factum fuiſſe aſſerit; diuulgatis ſub nomine Moyſis, Adã, Enoc, Eſaiæ, Eliæ, Dauid & trium Patriarcharum, peſtiferis ſcriptis; Similem Gnoſticorum verſutiam non ſemel cõqueritur Irenæus. Epiphanius in Marcione, Sethianiſquè eandem vanitatem detexit; Carolus Magnus Imperator [2] pſeudographias has, ſuo etiam tempore ab iſtis impoſtoribus vulgari docet, vt Epiſtolam quandam peſſimam & fallaciſſimam (ſic illam vocat) quam de cælo cecidiſſe dictitabant; vt iam minus miremur ſæculi noſtri præſtigiatores hoſce, qui tot & tam varias auctorum metamorphoſes inducunt, qui, vt erroribus ſuis fidem concilient, inſignium auctorum nomina in frontiſpicijs librorum mentiuntur, & hoc impoſturæ genere incautos lectores alliciunt. Sic enim illi infeliciſſimum Oecolampadium aduerſus ſacroſanctam Euchariſtiam, Bertrami nomine laruatum exhibuerunt: ſic Caroloſtadium cum inſcriptione Caroli Magni ad Sextam Synodum: ſic Caluinum in Alcuinum Caroli Magni præceptorem transformarunt: Henrici Bulingeri librum contra viſibilem Eccleſiam

[1] Qui ſcripſit contra Acæphalorum, & Neſtorianorũ hæreſes.

[2] Cap. Item & pſeudographias ĩ Cõſt. Caroli Magni.

ſiam beato Athanaſio impoſuerunt: opuſculum Buccerі aduerſus merita bonorum operum Ioannis Roffenſis Epiſcopi orthodoxo nomine fucarunt: Vvaldaricum Augustanum contra cœlibatum confinxerunt. Vt interim plurima alia relinquā, quæ Iuſtino martyri, Philoni Iudæo, Origeni, Arnobio, Euſebio Emiſeno, Cyrillo, Naziāzeno, Neoceſarienſi, Theophylacto, Ambroſio, Hieronymo, Eucherio, Bedæ, ipſis etiam Apoſtolis atque Prophetis impoſtores iſti adſcribunt. Nunc autem impudentiſſimus nugator Caluiniſtam quempiā aut Hugonottam contra Apoſtolicam Sedem rabidum, Ducis Albani nomine ſimulare contendit.

Ait demum, *Sed ne quis horum exemplorum auctoritatem deludat exceptione hac, tum leges fuiſſe in manibus, armiſquè poſitas, iam literatorum hominum exempla & documenta afferamus.* Et inferius, Blondum, Pomponium Lætum, Dantem, Petrarcham, Patauinum, Guilelmum Occamum & Petrum de Vineis tanquam ſanctiſsimos Patres, præſtantiſſimosquè viros, quorum ſententia & auctoritate ceu validiſsimo & irrefragabili ſundamento Pontificis Romani poteſtatem euertat, auctores affert. Quorum tamen nōnulli vt Hæreſiarchæ ab Eccleſia Catholica & Romanis Pontificibus condemnati ſunt. His vero fidem adhibere tuum eſt Vvaramunde, non noſtrum. Alij in Pontificum vitia aut verè aut falsò (hiſtoriam enim non ſcribimus) impudenter tamen, quod negari certè non poteſt, inuecti, Apoſtolicam ipſam dignitatem alias obſeruarunt, & qua debebant reuerentia, proſecuti ſunt. Sed demus vaniſsimo criminatori, iſtos omnes, quos appellat, fuiſſe Catholicos, omniquè exceptione maiores, an, rogo, tales erant, quos ſanæ mentis quiſquam in re, quæ & omnium grauiſsima, & maxima eſt, auctores citare debuiſſet? Videat igitur pius Lector, quos ille ſuarum fabularum probatores nobis adduxerit, quorum fidem produ-

producat: antiquisſimos vero Eccleſiæ Patres, ſacroſanctos martyres, confeſſores religioſiſsimos, virginitatis puriſsimos cultores, quorum teſtimonijs, miraculis, vita, ſanguine, nos noſtra probamus, tanquam minus idoneos teſtes reliquerit & contempſerit. Videat item quam exactè, & ad vnguem, (nec enim quicquam diſsimulandum eſt) teneat Vvaramundus Pontificiam Hiſtoriam, cuius teſtimonio vtitur, qui ſicut ait [1], *Quid de Guilelmo Occamo dicam? cuius tanta fuit in Cæſarem Ludouicum fides, vt nihil ſubterfugerit laboris, nihil diſcriminis ſubire dubitauerit, quo ex ſcripturæ ſacris documentis oſtenderet auctoritatem iſtam audaci, & intolerando facinore à Papis abrogari, Cæſareamquè Maieſtatem à tyrannico ac potius hypertyrannico inſtituto Innocentij xxij. vendicaret*. Viginti videlicet duos Innocentios in Catholica Romana Sede sediſſe ab Vvaramundo nouè docemur; cum octo tantũ hactenus numerauerimus, quatuordecim tamen addit noſter χρονογράφος, & quidẽ narratione hac potiſſimũ continetur admonitionis ſuæ fundamentum.

1 Pag. 16. ad calcem.

Romanus Pontifex Principatum habet in Eccleſia Catholica. Recentiorum auctorum qui de hoc ipſo argumento ſcripſerunt catalogus. Cap. IX.



SEQVITVR in VVaramundo, *Smalcaldiæ* (inquit) *Anno 1537. condemnata eſt quatuor aſſertionum Papalium impietas, Prima quod diuino iure Pontifex in toto ſe Chriſtiano orbe ſupremum eſſe narrat Epiſcoporũ & miniſtrorum omnium: Secunda quod diuino iure poteſtatem habet vtriuſque gladij, reges, regnaquè mundi inſtituendi, nimirum ſecundum illud, Reges gentium dominantur eis, &*

eis, & qui potestatem habent in eas, vocantur benefici: vos autem non sic: Tertia quod res istas credi & certo teneri necesse est sub pœna damnationis æternæ, quia Pontifex vices Christi in terris gerit, nempè argumento illius dicti, Potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere conijciens in gehennam: Quarta quod nouas leges de cultu Dei doctrina & sacramentorum mutatione ferre potest arbitratu suo, easque leges summo in pretio haberi iubet, vt quæ non æquiparandæ solum, sed etiam anteponendæ sint scripturis sacris, Deique ipsis legibus & sine peccato nequeant prætermitti; scilicet huic bellè conuenit cum Iacobo dicente, Vnus est legislator qui potest seruare & perdere.

Hæc nos item singula examinemus. Quamuis enim sciam me in re trita, & a multis luculentissime tractata versari, repetam tamen quæ ab alijs dicta sunt, ne (quod sæpe monui) conniuentia nostra causam istius apud suos meliorem reddat. Et primùm, Episcopum Romanum Episcoporum omnium supremum esse negat, quod tamen Catholici multis & euidentissimis rationibus demonstramus. Etenim (vt hoc imprimis abs te quæram, VVaramunde) quid obsecro tam esset indecorum, quàm corpus hoc Ecclesiæ Catholicæ, in quo quidem in vno eodemque spiritu regenerati[1] sumus, cuius vnicum, supremumque caput extitit Christus a Patre datum (vt ait Apostolus[2]) diuidere & in plura capita proscindere ac lacerare? Quid magis inconueniens, quam hanc ordinatissimam & instructissimam aciem[3] (sic enim Ecclesiam Catholicam spiritus Dei appellat) sine vno certo Duce & Imperatore ordinari? Cum in quouis grandi exercitu (vt dicebat Hieronymus[4]) vnius tantum, non plurimorum signum expectetur. Quid magis inhonestum, quam Ciuitatem Hierusalem[5] nouam, descendentem de cælo, quæ ad cælestis illius triumphantis imaginem ædificata est, in hoc vno diuersam constituere, videlicet vt in ea sine certo & vnico rectore res fluitent, atque inter homines deficiat vnus Princeps, quem & inter angelos constituit Dominus?[6] Quid magis indecens quàm diuersam

1 1. ad Corinth. 12.
2 Ad Ephes. 1.
3 Cant. 4.
4 Ad Rustic. monachum.
5 Apocal. 21
6 Luciferũ ante lapsũ & post Michaelẽ Tertullianus lib. 2. contra Marcion. Gregor. Hom. 34. in Euãgel. Bedæ, in cap. 40. Iob, Isid. lib. 1. de sũmo bono. c. 12. Hieronym. & Cyrill. ad locũ Iob.

diuerſam Eccleſiã conſtituere ab ea, quę fuit Chriſti tẽpore? qui vnus & ſupremus illius rector fuit, vnus Princeps, vnus Epiſcopus, vnus Põtifex? Quid magis impiũ quã eiuſdem Saluatoris noſtri præcepto contradicere, qui vni Petro ouium ſuarum curam mandauit, ſine quo vno gubernatore gregẽ ſuum errare non permiſit? Quid magis turpe, quam totam Eccleſiaſticam Hierarchiam temerariè corrumpere? totam diſciplinam perturbare? omnem ordinem confundere? Nec enim aliud eſt Eccleſia (vt Cyprianus aiebat [1]) quam plebs Sacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. Et tandem quid eſſe poteſt magis abſurdum, quam ab vna Chriſtiana Republica reijcere, quod in omnibus ſemper obſeruatum fuiſſe legimus? Etenim in lege veteri (vt de hac primò dicam) in qua omnia in figura contingebant, vnum religionis Principem conſtituit Dominus, à quo Reſpublica ordinata eſt, leges præſcriptæ ſunt, Sacerdos conſecratus eſt, cui reliqui omnes ſuberant Sacerdotes; ac demum vſque ad Chriſti tempora nũquam defuit vnus Princeps Sacerdotum, qui omnes vbique Sacerdotes regeret [2]. Iam ſi ſacra prophanis miſcere licet (licet autẽ quandoque, quia quæ vera ſunt, vt Iuſtinus ait, noſtra ſunt) apud Ethnicos vnus erat Pontifex Max. qui ex eo Maximus dictus eſt (Feſto auctore) quòd Iudex atque arbiter haberetur rerum diuinarũ atque humanarũ, cuius ſcitis omnia publica, priuataquè ſacra ſubiecta fuiſſe auctores ſunt Hiſtorici, [3] qui cæteros omnes miniſtros honore & gradu (Arnobio [4] teſte) præcedebat. Inter Gallorum ſacrificulos vnus præerat, qui inter illos ſummam habebat poteſtatem, vt ſcripſit Cæſar; [5] apud Francos vnus fuit Summus Pontifex, cuius ſæpè meminit priſca Francorum hiſtoria [6]. Cur igitur Eccleſiam Chriſti iure hoc abdicabimus? cur eandem adminiſtrationis formam in illa vna reijciemus? cur ſchiſmata

L amabimus?

1 Epiſt. 69. aduerſus Puppianũ, ſeu Florentium.

2 Agnoſcũt hoc Magdeburg. li. 1. c. 7. col. 257. & Caluin. lib. inſtit. c. 8. ſ. 87.

3 Liu. lib. 1. Hiſto. vrb. cond.

4 Lib. 4. aduerſus gentes. Dion. Plutar. & Blõd. li. 2 Rom. triumph. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. & lib. 5. c. 10.

5 Lib. 6. Cõment. belli Gallici.

6 Hunibaldus & Trithemius c. 1. breuiarij annal. Francorũ.

amabimus? an verò istorum exemplum sectabimur, qui cum ab vno Luthero descendant, breuissimo tamen tempore in mille sectas diuisi iam sunt & dissecati? Quapropter cum vna sit Catholica & vniuersalis Ecclesia, vna sponsa immaculata, quæ vnius tantum debet esse viri, vna fides, vnum baptisma, Deus vnus; consequens est, vt eiusdem vnius Dei, vnius baptismatis, vnius fidei vnus sit Vicarius in terris, vnus summus Minister, & Sacerdos, vna summa Sedes, vnum Imperium.

Iam si hoc nobis vel inuiti concedant isti, quì obsecro negare possunt, ad Romanum Pontificem, tanquam ad Petri Apostolorum omniũ Principis, & in Ecclesia Episcopi summi & maximi, legitimum successorem, eãdem dignitatis & honoris excellentiam pertinere? Pontificum enim in Ecclesia successio à Deo est, ipsius verbo confirmata, qui [1] *Pasce oues meas*, dixit Petro, vt inde doceret pastoris officium, quod stante grege, necessariũ semper est, intermitti, immutari, aut tolli non posse, nec debere. *Ipse quidem dedit quosdam Apostolos* (Paulus ait [2]) *alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Itaque ante cõstitutum hoc tempus ædificationis fidei, & occursus ad Christũ, hoc est ad extremũ censoriũquè diem, Pastoris & Doctoris officium non cessabit in Ecclesia, & in eo Romanus præerit Pontifex, qui a Petro in ministerio hoc successor electus est. A Petro, inquã, qui Romæ Ecclesiam Catholicam fundauit & rexit, qui Romæ prædicauit, qui Romæ Clementem designauit Pontificem, qui Romæ passus est, qui Romæ sepultus. Alioqui docete vos, perditi magistri, alium Episcopũ, quem Petri successorem, huius potestatis & ministerij hæredem, vel probabilibus coniecturis, nedum veris argumentis

1 Matt. 16.

2 Ad Ephe. 4.

mentis ostendere possitis. Reliquum autem est, vt auctoritate & testimonijs Primatum Apostolicæ huius Sedis demonstremus: Quod tamen à multis explicatum est. Quid igitur faciemus? repetemus ne iterum ob vnius impudentiam ab alijs dicta? Quid erit molestius? tacebimus? applaudent certè illi, vt diximus, ceu victori, qui vel hæc non legerint, vel saltem legisse negauerint. Seruandum igitur nobis erit medium, & Conciliorum tantum decretis veritas hæc demonstranda: non tamen omnium, sed eorum tantum, quæ Generalia vocantur, in quibus certè sacrosanctæ huius Sedis auctoritas, & principatus ita manifestò deprehenditur, vt nulla omnino dubitandi ratio relinquatur.

De primo igitur celeberrimo Concilio magno, quod in Nicæa vrbe celebratum est, videamus: in quo aliquantulum immorandum nobis erit, cum illo nostri temporis Hæretici (perperam colligentes deliria & vanitates suas) abusi fuerint [1]. Contra Primatum enim Apostolicæ huius Sedis in testimonium trahunt sententiam Canonis sexti, quem Gratianus citat in cap. mos antiquus. distinctione 65. Qui tamen cum nihil minus probet, quam quod isti volunt, locupletissimus nobis testis erit aduersus ipsos, itaque illo tantum Ecclesiæ Romanæ Primatum probare constitui. Citemus igitur verba, & quamuis in eorum explicatione pijssimi & doctissimi viri feliciter versati sint hactenus; nos nihilominus, & quædam ab his dicta referemus, & si quid sese nouum obtulerit, subijciemus. Canonis ergo verba sunt, *Mos antiquus perduret in Aegypto Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus omnium horum habeat potestatem, quoniam & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est.* His porrò verbis trecentorum decem & octo Patrum cõsensu iam ab hinc 1220. annis manifestè constat huius sacræ Sedis Primatus & auctoritas. Constat,

1 Luth. de potest. Papæ. Calui. lib. 4 instit. c. 7. §. 1.

inquam, quia cum in Nicæno Concilio de confirmanda iurisdictione Patriarchæ Alexandrini ageretur, Aegyptum, Libyam, & Pentapolim ea solùm ratione ipsi committere Nicænos Patres videmus, *Quoniam & vrbis Romæ* (inquiunt) *Episcopo parilis mos est*, idest, quoniam Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem & ante omnem consuetudinem permiserit Episcopo Alexandrino potestatem Aegypti, Libyæ & Pentapoleos. Hæc est enim propria ac genuina illius canonis interpretatio, vt in nuper emisso Decretorum volumine, dicti Canonis Græcis verbis subiectis adnotatur, & nos breuiter demonstrabimus. Nec enim (vt Caluinus ex Ruffino [1] falsò docuit) suburbanarum tantum Ecclesiarum cura Romano Episcopo relinquitur, aut Occidẽtis solius, vt Balsamon [2] Antiochenus (qui si non perfidia, ignorantia tamen & leuitate par) ita canonem interpretatus est: sed eò spectant verba illa, vt secundum permissionem antiquam Romanæ Ecclesiæ decernant ibi Patres, & iuxta decretum eiusdem Romanæ Ecclesiæ statum aliarum Ecclesiarum ordinent.

1 Lib. 1. histor. cap. 6.

2 In Scholio illius Canonis.

Et verò hoc nobis extra omnem dubitationem posuissent eiusdem Canonis verba, si illorum principium in vulgatis codicibus (quod certò scimus) non deesset, illud est, *Ecclesia Romana semper habuit Primatum; mos autem perduret in Aegypto, Libya & Pentapoli vt Alexandrinus Episcopus omnium horum habeat potestatem, quoniam & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est &c.* Ita enim citatur in Chalcedonensi Cõcilio actio. 16. a Paschasino Sedis Apostolicæ Legato, ita Dionysius Abbas antiquus auctor, vir cum sapientia magna simplex (vt Cassiodori verbis vtar [3]) cum doctrina humilis, cum facundia loquendi parcus, diuinarum autem scripturarum tanta curiositate discussor, vt vndecumque interrogatus fuisset, paratum haberet competens

3 Lib. 2. instit. diui. lect. cap. 23.

tens

tens ſine aliqua dilatione reſponſum, is inquam prædictum canonem, illis verbis initio præhabitis, ex Græco vertit, vt adnotauerunt nuper eruditi viri Franciſcus [1] Turrianus & Alanus Copus [2]. Cæterùm cum iniuria temporum, vel potius Hæreticorum arte illud principium obliteratum ſit, ac ſuppreſſum, alijs nobis rationibus agendum erit. Itaquè in primis operæpretium eſſet, ſi explicarēt iſti, qui aliter ſentiunt, qua ratione Cōcilio Nicæno, ſuburbanarum tantum Eccleſiarū curam Romano Pontifici demādari, & tam anguſtis limitibus illius iuriſdictionem circumſcribi credant, cum tamen certò ſciant, Nicænam Synodum non tantum Silueſtri Romani Pontificis conſenſu coactam fuiſſe, vt auctor eſt Damaſus, ſed & eiuſdem Pontificis nomine Vitum & Vincentium in illa præfuiſſe teſtentur Hiſtorici omnes, ex Latinis videlicet Oroſius, Ruffinus, Marianus, Regino, & recentiores: ex Græcis autem Euſebius [3], Nicephorus [4], Zozomenus [5], Theodoritus [6], Cedrenus [7], Photius Cōſtantinopolitanus, & reliqui. Quì inquam defendi poteſt, habuiſſe Romanum Pontificem poteſtatem ad cōgregādum primū iſtud vniuerſale Concilium in Aſia, in quo ex toto orbe concurrerunt Epiſcopi, in eoquè Legatos Apoſtolicæ ſuæ Sedis pręfuiſſe, & eodem ipſo Concilio ſuburbanarum tantum Eccleſiarum curam illi demandari? Quod ſi hoc recuſent, & cogendi illius Concilij auctoritatem Conſtantino Imperatori potius, quàm Silueſtro Pontifici tribuere velint (vt falsò tribuunt) dic quæſo (vel hoc dato) quis ſanæ mentis credat, ſub eo Principe, qui in Romanam Eccleſiam, atque adeo in Silueſtrum ipſum Pontificē tam beneficus extitit, cuius munificentiæ tot, & tam præclara extant monimenta, ſic coarctari debuiſſe Romanę Sedis iuriſdictionem? aut quomodo permitteret pientiſſimus Imperator tam exiguam in ſpiritualibus rebus par-tem

1 Lib. 3. de dogmat. charact.
2 Dialog. 1.

3 Lib. 3. de vita Cōſt.
4 Lib. 8. c. 14.
5 Hiſto. tripar. lib. 2. cap. 1.
6 Lib. 1. c. 7.
7 In Compend. Hiſt. anno Conſtātini xx. ἧς ἡγοῦν τὸ Σιλβέστρου Πάπα Ῥώμης τοποτηρητὰ, Βίτων ϗ Βικεντίων πρεσβύτεροι.

tem illi Ecclesiæ attribui, cui ipse tam amplum patrimonium concesserat? Hæ vtique coniecturæ non sunt, aut diuinationes, sed vrgentissima, firmissimaquè argumenta; quibus tamen omissis illud agamus, vt ex eodem ipso Concilio Nicæno veritas hæc planè demonstretur. Nec adferam nunc Nicænos illos duos canones à Catholicis repertos, trigesimum [1] videlicet, & quadragesimum quartum [2], qui subdolam Hæreticorum interpretationem, prauumquè sensum planè arguũt. Porrò in illo decernitur licere Episcopis ex toto orbe ad Romanum Pontificem appellare; huius ex Arabico traducti verba sunt, *Vt à principio Petrus Christi Vicarius religioni, Ecclesijs, cæterisquè rebus ad Christum pertinentibus, Præfectus, Principium Christianorum, Prouinciarum, & omnium Gentium Dominus rector erat, ita ille, cuius principatus Romæ est Petro similis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum, & principatum obtinet*. Eccè quàm expresè Hæreticorum calumniam conuincant Canones hi, & ex eorum sententia sexti Canonis (in quo versamur) verus eliciatur sensus. Prior enim non suburbanarum, aut Occidentalium tantum Ecclesiarum causas, sed omnium, quæ sunt in vniuerso Christiano orbe Romani Pontificis iudicio tanquam vniuersalis Ecclesiæ Iudicis cognoscendas decernit: Posterior verò Vicarium Christi, Præfectum Ecclesiarum, Principium Christianorum, Prouinciarum, & omnium Gentium Dominum & Rectorem Romanum Põtificem appellat. Quì igitur conciliabunt Magistri isti mendaces tam discrepantes inter se se sententias? nisi fateantur conuicti verissimum esse id, quod docuit Nicolaus primus [3], Nicænam videlicet Synodum rectè nouisse Romanæ Ecclesiæ omnia Domini sermone concessa esse, & consequenter (si omnia) nihil prorsus defuisse, quod non illius auctoritati concesserit.

Igitur (quod omnem prorsus dubitationem tollit) epistola [4] extat communi omnium Patrum nomine in

eo ipso

1 Not. Cop p.dialog.1.
2 Turria.lib.3.de dogma. Charact.
3 Episto. ad Mich. Imper.
4 To.1.Cõc. fol.354. Su.edit.

eo ipſo Concilio Nicæno ad Silueſtrum ſcripta, in qua Pontificē precabātur Patres, vt quicquid in tanto cætu & conſenſu viſum fuerat, oris ſui conſortio cōfirmaret. *Quoniam omnia* (aiunt) *corroborata de diuinis myſterijs Eccleſiaſticæ vtilitatis, quæ ad robur pertinent ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ, ad Sedem tuam Romanam explanata, & de Græco redacta ſcribere confitemur. Nunc itaque ad veſtræ Sedis augmentum accurrimus roborari.* Et inferius: *Quicquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur.* Huius autem epiſtolę fidem teſtabitur vobis illius exemplar antiquiſſimum, quod apud vos reperitur in bibliotheca Prædicatorum Coloniæ, vt notauit Surius. Epiſtolæ vero huic ſubijcitur & Silueſtri reſponſio, quæ noſtræ ſententiæ minime refragatur. In ea enim ſanctus Pontifex Synodum monet, vt Paſchales cyclos; quos fallaces pronunciabat Victorinus, iuxta morem Romanæ Eccleſiæ obſeruaret; ipſam autem ſacroſanctam Synodum poſt varias diſcuſſiones tandem decreuiſſe conſtat, vt prædictam Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem ſequerentur Aſiatici, omitterentquè obſeruationem, quam ab Apoſtolicis viris Polycarpo & Polycrate, & alijs acceperant. Cui ſententiæ auctoritatem Conſtātini acceſſiſſe certum eſt. Hoc autē non leue exiſtimari oportet argumentum ad id, de quo agimus probandum: Scimus etenim non ſemel ob non ſtabilem Paſchatis celebrationem maximas obortas eſſe inter Catholicos diſſenſiones & querelas, tum vel maximè cum hac potiſſimum de cauſa Concilium illud celeberrimum coactum fuiſſe ſatis conſtet.

Deinde, ad eiuſdem veritatis confirmationem non parum conducit celebris illa Hiſtoria de Arianorum in magnum Athanaſium perſecutione, quam circa eiuſdem Concilij Nicæni tempora incidiſſe narrant Hiſtorici [1]. Ea enim cauſa à Iulio Pontifice Romano non ſolum Catholicorum iudicio, & ipſius Athanaſij ſenten-

tia

1 Theod. Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 26. Tripar. lib. 4. per totū & cæteri Eccleſiaſtici ſcriptores.

tia cognoſcitur, verum & Euſebiani ipſi legationem ad Iulium mittunt, vt in cauſa Athanaſij Iudex ſit, auctore Socrate [1]. Quod vtique minimè feciſſent, ſi ſuburbanarum tantum Eccleſiarum curam Romano Pontifici tributam, ex nuper emiſſo Concilio Nicæno cauſari poſſent. Erat enim tunc Athanaſius Alexandrinæ Eccleſiæ Metropolites in locum demortui Alexandri recèns ſuffectus. Sed & Zozomeni [2], qui apertius rem explicat (eſt autem inſignis locus ille pro Pontificis Romani auctoritate) verba, quamuis prolixiora adducā: *Igitur Athanaſius* (ait) *relinquens Alexandriam, Romam profectus eſt. Contigit autem eodem tempore etiam Paulum Conſtantinopolitanum Pontificem illuc vnà concurrere & Marcellum Ancyræ, Aſclepamquè Gazæ, qui dum Arianis eſſet aduerſus calumniam paſſus ab his, quaſi ſubuertiſſet altare, damnatus eſt. Pro quo Gazæorum Eccleſia Quinctiano committitur. Lucianus autem Hadrianopolites Epiſcopus ob aliam accuſationem Eccleſia ſua priuatus degebat in vrbe Roma. Cognoſcens ergo Romanus Epiſcopus crimina ſingulorum, & omnes Nicæno Concilio concordare comperiens, eos in communionem ſuſcepit tanquam omnium curam gerens, propter Sedis propriæ dignitatem, ſingulisquè reddidit ſuas Eccleſias, & Orientalibus ſcripſit Epiſcopis, culpans eos, quòd non rectè tractaſſent viros inculpabiles, de ſuis Eccleſijs eos expellentes, & quod cōſtitutiones Concilij Nicæni minimè obſeruarent.* Et (vt hoc dicā obiter) ne quis hallucinetur, & hanc animaduerſionē Iulij in Orientales Epiſcopos, fuiſſe credat veluti quandam admonitionem, quæ à paribus fieri ſolet, addit idem auctor, *Quorum paucos ad certam diem ſibimet adeſſe præcepit, vt coram eis oſtenderet iuſtum ſe ſuper illis protuliſſe decretum; & deinceps non ſe paſſurum interminatus eſt, niſi ab huiuſmodi turbis & nouitate ceſſarent, & ille quidem hæc ſcripſit. Athanaſius autem & Paulus epiſtolas Iulij Orientalibus Epiſcopis miſerunt, & ſinguli eorum ſuas Sedes adepti ſunt.* Hactenus Zozomenus: Ex quo (niſi fallor) planè conſtat, primùm, Iulium, Romanum Pontificem Concilij Nicæni obſeruantiſſimum fuiſſe, vt qui prædictos Epiſcopos propterea reſtituerit, quòd cognouerit omnes

[1] Tripart. lib. 4. cap. 2.

[2] Tripart. lib. 4. cap. 15.

Nicæno Concilio concordare, deinde Orientales incre passe, quòd Nicæni Concilij constitutiones minime obseruarent. Quomodo ergo contra illud idem Concilium faceret Iulius aliarum Dioeceseon causas sibi vsurpãdo, si eo ipso Concilio, quod tantum commẽdabat, & venerabatur, id prohibitum sibi intelligeret?

Socrates [1] quoque in eadem Athanasij causa, quæ sequuntur, scripsit verba: *Quo facto Iulius rescripsit eis, qui fuerant in Antiochia congregati, culpans eos primum de iniurijs literarum, deinde cur se ad Synodum suam non vocassent, Canonibus nimirum iubentibus, præter Romanum nihil decerni Pontificem.* Atqui post Nicænum præter Romana illa duo Concilia, quæ sub Siluestro celebrata sunt ad Iulij tempora, Synodi [2] omnes Prouinciales fuere, quarum tamen auctoritate minus vteretur Põtifex, nisi Cõcilio magno & oecumenico decerni, & statui hunc suę Sedis primatum, quem dicit, certò sciret, præsertim cum hæc causa Athanasij inter illas annumerari deberet, quæ in Concilijs Prouincialibus definiri non poterant. Quod & postea Leo primus ostendit ad Anastasium Thessalonicensem scribens [3], vbi Episcoporum maiora crimina nõ posse Concilijs Prouincialibus tractari ait, sed iudicio Legati Pontificij, aut ipsiusmet Pontificis cognitioni relinquenda esse.

Accedit, Athanasium ipsum summos Pontifices Romanos non semel obsecrasse, vt Concilij Nicæni canones, quorum sententia fretus Romanam Sedem appellauerat, ad se mitterent. Illi verò non omnia decreta, sed ea tantum, quæ ad rem faciebant, de prouocando ad Romanam Sedem, exscripta transmiserunt; vt ex vetustissimis Iulij, Liberijquè literis Græcis ostendit Cardinalis sanctæ Sabinæ in Concilio Florentino [4] generali. Quapropter nisi quis hallucinari vehementer cupiat, ex hac Athanasij causa perspicuè colligere potest, quæ fuerit Concilij Nicæni de iurisdictione & potesta-

1 Tripar. lib. 4. c. 19.

2 Illiber. Arelat. 1. Grang. Arelat. 2. Chart. ex Platina, & Panuino.

3 Dist. 18. apud Gratia.

4 Sess. 20.

te Romani Pontificis sententia, & an rectè interpretentur isti, qui suburbanarum Ecclesiarum, vel Occidentis tantùm curam illi concedunt.

Tertio loco accedat de hoc sexto Nicæno Canone Concilij quarti magni Chalcedonēsis sentētia. Constat enim (vt memini superius) actione. 16. Canonem istum produci, & à Paschasino Sedis Apostolicæ Legato recitari. Aiunt namque: *Vtraque pars Canones proponat: Paschasinus vero reuerendus Episcopus Vicarius Sedis Apostolicæ recitauit. Trecentorum decem & octo sanctorum Patrum Canon Sextus. Teneat autem & Aegyptus vt Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romani Episcopi hæc est consuetudo.* Et ab Ætio Archidiacono Constantinopolitano: *Regula sexta trecentorum decem & octo sanctorum Patrum antiquæ consuetudines teneant in Aegypto, vt Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc consuetudo est.* At cum hoc ita sit, ijdem ipsi Patres in eodem Concilio & actione, inferius paulo: *Ex his quæ gesta sunt* (aiunt) *vel ab vnoquoque deposita, perpendimus omnem quidem Primatum & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ amantissimo Archiepiscopo conseruari.* Ecce, quomodo Romano Pontifici prædicto Canone sexto nihil detrahatur de suo antiquo Primatu, & prærogatiua, de sua vniuersali in orbem vniuersum iurisdictione: sed illi omnis Primatus & honos præcipuus conseruetur, quod dici certè non posset, si tam angustis terminis & limitibus, illius iurisdictio esset arctata.

Iam cum hoc ex Chalcedonensi Concilio tam euidenter constet, eandem sententiam non minus comprobat in Concilio [1] secundo magno libellus Synodicus (huius nimirum explicationis testis omni exceptione maior) ad Damasum missus, cuius & Theodoritus meminit [2]. In illo Constantinopolitani Patres ad Concilium coacti, excusant se se apud Romanum Pontificem, quòd non potuerint Concilio Romano, ad quod ab eodem

1 Tomo 1. Cōcil. fol. 484.

2 Histor. Eccles. lib. 5. cap. 9.

eodem Pontifice accersiti fuerant, interesse, & aiunt: *Nos veluti membra propria per Imperatoris sanctißimas literas accersiuistis.* Et inferius: *Propterea quod Constantinopoli mandato literarum superiore anno à vestra Reuerentia post Concilium Aquiliense ad sanctißimum Theodosium Imperatorem missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsque faciendum, nos præparauimus, atque de hoc vno Concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in Prouincijs manserant, vnà nobiscum attulimus. Iccirco neque longiore itinere opus esse expectabamus, neque de vllo alio omnino ante acceperamus, quam Constantinopoli in vnum conuentum esset.* Hæc apud Theodoritum, quibus similia verba habentur in exemplaribus Conciliorum. Itaquè videmus, quàm planè fateantur Patres, Ecclesiam Romanam caput esse, cæteras vero Ecclesias capitis istius membra. Item Concilium Constantinopolitanum auctoritate Pōtificis Romani coactum fuisse. Quæ tamen cum sic habeant, in eodem ipso libello paulo inferius longissima mentio fit dicti Canonis sexti Nicæni, in quo versamur, & eius sententia comprobatur. Si ergo illius Canonis sententiam probant illi ipsi, qui Romanæ Ecclesiæ vniuersalem curam Ecclesiarum paulo ante tribuerant, tantumquè detulerant: iam apertè sequitur, nihil contra hanc Romanæ Ecclesiæ prærogatiuam in dicto Canone contineri: aliàs contraria prorsus inter se se, & repugnantia omnino approbarent Patres. Quod etiam & Damasus [1] his Orientalibus Patribus rescribens non minus ostendit, cum ait: *Quod vestra charitas debitam Sedi Apostolicæ reuerentiam tribuit (filij honoratißimi) vobis ipsis quoque maximo honori est. Nam tametsi in sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus, tractanda sint, nobis primæ partes deferuntur, tamen confitemur, nos illo dignitatis gradu longè inferiores esse.* Et idem infra: *Recordamini sedulò tum fidei ab Apostolis traditæ, tum huius vel maximè, quæ est à sanctis Patribus in Concilio Nicæno scriptis prodita: in eaquè firmè gradum defigentes, immobiles perstate.* En, vtraque pars Primatū Ecclesiæ Romanæ concedit,

1 Apud Theodor. Hist. Eccl. lib. 5. cap. 10.

vtraque Concilium Nicænum citat: vtraque obseruandum proponit. Quomodo ergo tot ἀντινομίας (vt iterum repetam) component isti, nisi concedant Concilio Nicæno non solum Apostolicæ huius Sedis Principatum non destrui, verumetiam astrui, decerni, & agnosci?

Adde Nicænos Canones ad Chalcedonense Concilium ex Romanæ Ecclesiæ scrinijs à Paschasino Leonis Romani Pontificis Legato delatos fuisse. In Græcia enim iam non extabant Concilia, vt quæ in Ecclesijs cõcremata fuerant ab Arianis; sicut cætera omnia sacrarum scripturarum volumina (vt Athanasius auctor est in epistola ad vbique orthodoxos, & ad Romanum Pontificem de his Canonibus agens: *Quia* (inquit) *perfecta & non mendosa Romæ extant, &c.* Quis ergo sanæ mentis credat ab vrbe Romę Chalcedonẽ eum Canonem debuisse mitti, in quo tantum Sedis Romanæ Primatus & auctoritas imminuebatur? Denique (vt in re notissima profusior non sim) Concilij Nicæni decreto, causarum omnium Ecclesiasticarum appellationem Romano Pontifici competere, non solum ex Canone trigesimo, quem citauimus, constat; verum & hoc idem (Concilium Nicænum secuti) decreuerunt Patres in Concilio Carthaginensi sexto, vt patet in Commonitorio [1] Zosimi Episcopi ad Faustinum Episcopum & Legatum Romanæ Ecclesiæ, & ad Philippũ & Asellum presbyteros. Quod etiam refertur à Iulio Romano Pontifice in epistola ad Episcopos Orientales, vt ex his omnibus omnis prorsus dubitandi ratio tollatur, verissimusquè appareat prædicti Canonis sexti sensus.

[1] Tom. j. Cõcil. fo. 565. & 2. quæst. 6. c. si quis Episcopus accusatus.

Iam verò ex secundo Concilio magno, quod Constantinopoli coactũ est, Romani Pontificis auctoritatem probari in his, quæ de Nicæno dicta sunt, apertè cognouimus. Quod & ex epist. ad Damasum apud Theodoritum lib. 1. histo. cap. 9. & his, quæ habentur in illius

Concilij

Concilij actis, expresse apparet. De tertio verò Ephesino, quod ad condemnationem Nestorij habitum est, ita narrat Euagrius [1], *Epistola* (inquit) *Sanctissimi Patris nostri & collegæ Cælestini Episcopi Ecclesiæ Romanæ necessariò compulsi, idquè non sine crebris lacrymis, ad hanc seueram sententiam contra eum pronunciandam venimus*. Idem probant Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ verba in epistola [2] ad Nestorium: *Quod si hoc* (inquiunt) *religio tua facere distulerit iuxta dilationem literis præfinitam sanctissimi, & reuerendissimi consacerdotis nostri Romanæ Ecclesiæ Præsulis Cælestini, scias te nullam sortem habere nobiscum, nec locum aut colloquium cum Dei Sacerdotibus, & Episcopis obtinere*. Idem docent Arcadij Apostolicæ Sedis Legati in eodem Concilio verba [3], *Cælestini Sanctissimi Papæ* (inquit) *beatissimiquè Apostolicæ Sedis Episcopi, qui nos suæ, Synodiquè sententiæ executores constituit, decretum amplexi agnoscimus Nestorium Episcopali dignitate iustè exutum, eundemquè tam ab Apostolicæ Sedis communione, quam ab omnium Sacerdotum consortio prorsus alienum esse censendum*. Ad hæc, vices suas Cælestinus in Nestorij causa Cyrillo commisit (illius enim vt diximus errorum occasione Synodus illa congregata fuit) vt docemur in epistola [4] eiusdem Cælestini ad ordinem Ecclesiasticum Constantinopolitanum. Ipsi Ephesini Patres à Romano Pontifice exquirunt, cum Nestorio ne cōmunicari liceret, an secus, auctore Cyrillo [5] in epist. ad Cælestinum: ijdem Ioannis Antiocheni causæ vltimam definitionem Pontifici Romano reseruant, vt ipsi testantur in epistolā [6] ad Cælestinū. Denique si (quæ extant illius Concilij acta) legeris, nihil manifestius probari concedes, quàm omnia, quæ inibi facta sunt, auctoritatem huius Romanæ Sedis proclamare, illiusquè nomine & decreto cuncta constituta & pronuntiata fuisse. Scio, istos exemplaribus Conciliorum, quibus Catholica vtitur Ecclesia, nullam fidem habere. Verùm profectò absurdum esset, quas scimus certissimas veritatis probationes, propter manifestam illorum

1 Lib. 1. Histo. Eccles. cap. 4.

2 Tom. j. Cōci. Ephes. fol. 603.

3 Habentur apud Pelta. Tom. 2. cap. 16.

4 Tom. 1. c. 18. apud Peltan.

5 Tom. 1. c. 29. apud Peltan.

6 Tom. 4. c. 17. apud Peltan.

lorum vafritiem omittere. Si tamen historiæ fidem quærant, apud Scriptores omnes hoc ipsum frequentissimum inuenient. Quæ enim hactenus retuli, docent Euag.lib.1.cap.4.Socrat.7.cap.34.Tripar.Cassiodori.12.cap.5. In Nicephoro autem insignis extat locus Ecclesiast.Histo.lib.14.c.34. in hæc verba: *Cælestinus Romæ Episcopus propter nauigationis pericula ipsi Synodo adesse detrectauit: Ad Cyrillum tamen, vt locum suum ibi obtineret, scripsit. Ex quo tempore fama est mythram illum & Papæ appellationem, atque vt orbis vniuersi Iudex appellaretur, accepisse.* Quid, rogo, clarius & expressius pro sanctæ huius Romanæ Sedis Primatu, & potestate adferri potest? à qua vel sola Cyrillo commissa delegatio, illum tot, tantisquè priuilegijs & prærogatiuis muniuit.

Quartum Concilium magnum Chalcedonense satis superquè docet Romani Pontificis Primatū: Leonem

1 Act.1.2.3. enim tunc Pontificem [1] millies vocant Patres vniuersalis Ecclesiæ Pontificem: passim illi obedientiam exhi-

2 Act.3. bent. *Sed & illis* (aiunt [2]) *Apostolica Sedes veniam præstitit de his, quæ ibi non voluntariè ab eis gesta sunt* (illos intelligunt, qui Eutychen in communionem admiserant) *qui & hactenus permanserunt obedientes sanctissimo Archiepiscopo Leoni, & omni sancto & vniuersali Concilio.* Et in epistola ad Leonem, ipsi vineæ Dominicæ, idest Ecclesiæ vniuersalis curam traditam esse profitētur. In eadē sancta Synodo Pontificis Romani Legati semper præsunt, semper subscribunt

3 Act.3.15. & alijs. primi: *Paschasinus* (inquit [3]) *Episcopus vice domini mei beatissimi atque Apostolici vniuersalis Ecclesiæ Papæ vrbis Romæ Leonis Synodo præsidens, statui, censui, subscripsi. &c.* Denique cum Episcopi supra sexcentos ibi conuenerint, solo Romani Pontificis decreto conuocatos fuisse docuit Gelasius: quod quidem satis etiam indicant omnes illi libelli, qui à diuersis offeruntur: in quibus Leonis reperitur prima & præcipua in inscriptionibus mentio, Theodori videlicet

ſicet Diaconi, Iſchirionis Diaconi, Athanaſij presbyteri, Sophronij Chriſtiani. Confirmant hoc non minus eiuſdem beati Papæ Leonis [1] epiſtolæ ferè omnes ad Eutychen, ad Flauianum Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum, ad Fauſtum presbyterum, ad Theodoſium Imperatorem, ad Pulcheriam A. ad Marcianum A. ad Leonem A. primum, ad Synodum Chalcedonenſem. In quibus Euthychen damnat, Concilium indicit, ſuos Legatos in eo præſides futuros indicat, ad cogendum Concilium auctoritatem præſtat, formam denique Concilij præſcribit. Horum autem reſcriptæ epiſtolæ omnes cum ab hac ſententia minimè diſſentiant, operæpretium eſt illius verba in primis referre, quæ legitur eiuſdem Flauiani [2] Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ad Leonem: ait enim: *Commotus itaque ſanctiſsime Pater in his omnibus, quæ ab eo præſumpta ſunt, & ea quæ in nos, & in ſanctiſsimam Eccleſiam facta ſunt, atque fiunt. pro conſueta fiducia fiducialiter age, ſecundum quod Sacerdotio competit propriamque faciens communem cauſam, & ſanctarum Eccleſiarum diſciplinam ſimul decernere damnationem aduerſus eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare, confortare autem & piiſsimi, & Chriſto deditiſsimi Imperatoris noſtri fidem. Cauſa enim eget ſolum modo veſtro ſolatio & defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ ſunt, facillimè deſtruentur, Deo cooperante, per veſtras ſacratiſsimas literas.* Illa quoque epiſtola, quę extat eodem tempore, & hæreſeon cauſa ſcripta Romæ à Valentiniano [3], Placidia & Eudoxia A. A. A. ad Theodoſium Imperatorem, poteſtatem & principatum huius ſacroſanctæ Romanæ Sedis meridie ſplendidius docet. *Debemus* (aiunt) *cum omni competenti deuotione fidem defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Petro intemeratam, & noſtris temporibus conſeruare, quatenus Beatiſsimus Romanæ Ciuitatis Epiſcopus, cui principatum ſacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide ac ſacerdotibus iudicare, &c.* Denique veritas hæc planè

1 Tom. 2. Concil. folio 2. 231.

2 Tom. 2. Concil. folio 3.

3 Tom. 2. fol. 5.

1 Lib. 15. Histo. c. 19.

planè cõfirmatur ex Nicephoro [1] in illius seculi Historia, qui de Chalcedonẽsi hoc Concilio agens ait: *Leo Romanus Episcopus primus Chalcedonẽsi Synodo comprobatam electionem, atque consecrationem Timothei* (Alexandrinam Ecclesiam Protherio adhuc viuente iniustè occupantis) *vt illegitimam improbauit, cuius epistolam Leo Imperator Timotheo Aerulo per Silentiarium misit, &c.*

2 Tom. 3. Annal. in Iustinia.

3 Lib. 4. c. 38.

Quintæ Synodo præsens præfuit Vigilius si Zonaræ [2] credimus, cuius verba sunt: *Sub hoc* (Menna scilicet) *quintum Concilium est coactum 165. sanctorum Patrum, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus*. Quòd si cum Euagrio [3] abfuisse Vigilium magis probemus, & per Romanæ Sedis Legatos Concilium celebratum, aut Vigilium Constantinopoli agentem, Concilio non adfuisse, illius verò decreta comprobasse, vt placuit Photio; ex eius nihilominus tum actis, tum ex Historicis omnibus facilè cõstat summa, & maxima auctoritas, Primatus, & potestas Romanorum Pontificum Agapeti, Siluerij, & Vigilij, qui eo tempore sederunt: immo cum occasione errorum Antimi Constantinopolitani, antea Trapezuntij Episcopi, Concilium hoc quintum coactum fuisse doceant Euagrius, Cedrenus, Zonaras, & Historici omnes, auctor est Nicephorus [4] eundem Antimum ab Agapeto veteris Romæ Hierarcha fuisse antea Constantinopoli damnatum, & Episcopali dignitate exutum. Quo factum est, vt ad huius solum sententiæ iustissimæ, & à cõpetenti Iudice prolatæ approbationem, (consequenter enim aliorum hæreses damnantur, quarum omnium caput erat Antimus) Constantinopoli conuenerint dicti Patres, vt patet ex epistola Iustiniani ad Mennam, Mennę ad Petrum Hierosolymitanum, Mariani & Monachorum Hierosolymitanorum Montis Sinai, & secundę Syriæ ad Iustinianum, & ad Agapetum, Orientalium Episcoporum ad eundem, & demum ex illius Concilij [5] actis omnibus. Itaque vt vnicum testimonium adducam,

4 Lib. 17. cap. 9.

5 Tom. 2. Conc. fol. 462. 464. 467. 470. 474. Suri. edit.

adducam, per Mennam Patriarcham, & Concilij præſidem actione 4. ita conclamarunt Patres: *Nos Apoſtolicam Sedem Romanam ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa, & eos condemnamus, &c.*

Iam (vt reliqua celerius percurramus) illa omnia, quę ſextam Synodum præceſſerunt ſub Agathone Romano Pontifice, huius ſacræ Sedis Primatum ſatis expreſsè atteſtantur. Primi etenim ſemper ſubſcribunt tanquam Concilij præſides, Legati Apoſtolicæ vrbis antiquæ Romæ. Conſtantinus Imperator eius nominis Quartus, cuius tempore hoc Concilium congregatum fuit, ad Donum, ſeu Agathonem illo demortuo, epiſtolam dirigit, qua illius auctoritatem ad cõgregationem Concilij impensè efflagitat. Idem conſtat ex epiſtola Iuſtiniani Secundi ad Ioannem V. Romanum Pontificem. Idem ex Leonis Romani Pontificis literis ad Conſtantinum Imperatorem. Quod autem ex Trullanis Canonibus aduerſus Eccleſiam Romanam commentãtur iſti, quàm abſurdum ſit, doctiſſimi viri ſatis ſuperquè demonſtrarunt, Humbertus videlicet Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis ſub Leone IX. Legatus; Anaſtaſius Bibliothecarius, & nuper Doctor Turrianus è Societate Ieſu hæreticorum μαστιγὼς æternus: adnotat etiam Surius ſecundo tomo Conciliorum pagina 1037. & noua additio in cap. 6. diſtinctione decima ſexta, verbo, habeo librum, apud Gratianum.

Septima Synodus Nicæna, actione ſecunda, Hadriani ad Tharaſium epiſtolam comprobat, in qua ſic habetur. *Cuius Sedes per totum terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniumquè Eccleſiarum Dei caput exiſtit, vnde & ipſe diuus Petrus Apoſtolus, Dei iuſſu Eccleſiam paſcens, nil omnino prætermiſit, ſed vbicunque principatum obtinuit, & obtinet, &c.* Hæc autem omnia ſic inferius admiſit ſancta Synodus: *Vniuerſa ſancta Synodus ſic credit, & ſic docet, &c.*

Octaua œcumenica Synodus trecentorum Epiſcoporum

porum numero congregata (quæ exuto Photio Constan tinopolitanæ Sedis inuasore, Ignatium restituit) actione prima à Donato & Stephano Episcopis, & Marino Diacono, Adriani Secundi Romani Pontificis Legatis, literas exegit, quibus (vt verba referam) notam facerēt potestatem suam, vt præsiderent in Synodo: illi verò produxerunt epistolam ad Basilium Imperatorem, quæ sic habet: *Adrianus Episcopus seruus seruorum Dei piissimo Imperatori Basilio Augusto Christianissimo & desiderabilissimo filio. Volumus per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrare Concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, & culparum personarumquè causas liquidò cognoscentes, iuxta quod in mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant. In quo sacrato cœtu execrandi vanitatis Concilij, quod aduersus hanc Sedē actū est,* (de actis intelligit Conuentus Photiani; qui, fauente Michaele Imperatore, coactus, Sedis Romanę auctoritatem infringere tentauerat,) *cuncta decernimus exemplaria à possessionibus suis ablata, contemplantibus cunctis, igne cremari, nec superesse apud quemlibet ex his omnibus saltem vnum iota, vel vnum apicem, nisi qui totius Clericatus, immo totius nominis Christiani anathemate perculsus carere voluerit. Non enim tam detestandum Collegium nisi Ariminensi sub Constantio, vel Ephesino à Dioscoro congregato latrocinio comparandum decreuimus.* At, hæc sancta Synonodus vna voce, & animo comprobauit.

Sed & eiusdem Concilij Canon vigesimus primus (quem citat Gratianus distinctione 22.) sic habet: *Diffinimus neminem prorsus mundi potentium, quemquam eorum qui Patriarchalibus Sedibus præsunt, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare, sed omni reuerentia & honore dignos iudicare, præcipuè quidem sanctissimum Papam Senioris Romæ, deinceps autem Constantinopoleos Patriarcham; deinde vero Alexandriæ, aut Antiochiæ,* &c. Et infra: *Porrò si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quæuis ambiguitas & controuersia, oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, & profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Senioris Romæ Pontifices.* Item & Basilij oratio ad

tio ad Episcopos illos, qui cum Photio schisma fecerant (quæ habetur in sexta actio. eiusdē Concilij) sic habet: *Nec enim vt sacratißimus Patriarcha* (Ignatium intelligit) *ad proprium regrederetur thronum Imperij mei opus, vel excogitatio facta est, sed multo ante sanctissimus & beatißimus Papa Nicolaus, quæ circa illum erant, certißime dicens synodicè decreuit reddi ei ius proprij throni & anathema cum tota sancta Romanorum Ecclesia pronunciauit contra resistentes huiusmodi decreto, atque sententiæ. Hoc autem nos olim scientes & pauentes iudicium anathematis promulgari, obsecundare Synodico iudicio Romanæ Ecclesiæ necessarium duximus, & huius gratia reddidimus ei proprium thronum, &c.*

Lateranense Concilium sub Innocentio III. celebratum, Oecumenicum quidem, longequè celeberrimum, vt in quo supra 1215. Patres conuenerint, cui Græci & Latini interfuerunt, can. 5. *Romana Ecclesia* (ait) *disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpotè mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra, &c.*

A Concilio Generali Lugdunensi sub Gregorio X. (quod Græcorum etiam & Latinorum Patrum frequēs fuit) Romanus Pontifex, Christi Vicarius prædicatur Petri successor, Rector vniuersalis Ecclesiæ, Gregis Dominici director.

Denique Concilium Florentinum Oecumenicum quod hac potissimum de causa coactum in Ferrariam primùm est, postea ad Florentiam traductum Eugenio iiij. Pontifice Romano præside, præsente Iosepho Constantinopolitano Patriarcha, Bessarione Trapezuntio Archiepiscopo Niceno, Isidoro Thessalonicēsi Archiepiscopo Ruttenorum, Græcorum doctissimis, Sedis huius principatum agnouit, & decreto decernit; inibique non solum [1] Grȩca Ecclesia cum Latina cōuenit, verum & Armeni atque Indi in communionem Romanæ fidei recepti sunt. Decreti autem verba: *Definimus Sanctam & Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri*

1 Plat. Volat. Palm. Naucl. & cæteri scriptores

ti Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse &c.

Id ipsum sancitur Oecumenicis alijs quinque Concilijs, quæ tamen à Græcis, cum ipsi illis non interfuerint, non recipiuntur; ab istis per calumniam, tanquam minus antiqua reijciuntur; Lugdunensi videlicet sub Innocentio quarto, vt habet cap. 1. de homicidio lib. 6. Viennensi sub Clemente quinto, clement. vnica, de summa Trinitate & fide Catholica, Constantiensi sess. 5. & 15. Lateranensi sub Leone X. sessio. 11. & sacrosancto vltimo Concilio Tridentino Lutheranæ tragœdię occasione habito, sess. 14. cap. 7. atque alibi frequenter.

Idem probari à nobis permultis Sanctorum Patrum testimonijs nullo certè negotio posset; quæ verò si adferrem, rem actam agerem. Extant enim (per neotericos scriptores catholicos adnotata) in hanc rē luculentissima & propè innumerabilia. Operæpretium ergo me facturum existimo, si capita tātum eorum citauero, non quidem omnium (hoc enim esset Catholicorum Scriptorum integrum indicem componere,) sed eorum tantum qui in isto argumento ex professo versati sunt: qui quidem cum scripturæ sacræ purissimis testimonijs, auctoritatibus sanctissimorum hominum, incorruptis vetustatis exemplis aduersarios Catholicæ Romanæ Ecclesiæ vrgeant, nec eos solum ignorantię, atque impietatis, sed extremi furoris atque dementiæ conuincant, ex illis Christianus lector plenè haurire poterit, quæ ad hanc rem volet. Esset siquidem (vt superius dixi) otio magis & patientia eius importunè abuti, quàm rem docere, si quæ ab alijs diffusè scripta sunt, & expressissimis typis mandata, nunc ego hic denuò exscriberem, & sine vllo prorsus fructu idemtidem recitarem.

Igitur

Igitur pro Romana hac ſacroſancta Sede ſcripſit Auguſt. Triumph. in ſumma de poteſta.Eccleſ. Card. Hoſius in explicatione ſymboli cap.25.& lib.2. cõtra Brentium pro Soto: Remundus Ruffus contra Molinæum, Robertus Arboricen̄. primo tomo de vtriuſque gladij poteſtate, Ioannes Echius libris tribus de Primatu Petri, Ioannes Faber in refutatione lib. Lutheri de poteſtate Papæ, Ioannes Cochlæus Philipp.4. & in lib. de poteſt. Papæ, Conradus Clingius lib.3, de locis communibus, Ioannes Driedonius lib.4.de ſcript.& de dogmat. Eccleſiaſt.c.3. Albertus Pighius lib.3.4.& 5. Hierarc. Eccleſ. Ioannes de Louanio lib.de perpetua Cathedra Petri, Iacobus Latomus de Primatu Petri, Lindanus lib.4. Panopliæ, Thom. Vvaldenſis lib. 2. doctrinalis fidei art.1. & 3. Ioannes Roffenſis in confutatione articuli 25. Reginaldus Polus Cardinalis lib. de ſummo Pontifice, & lib. 2.& 3.ad Regem Anglum, Nicolaus Sander lib.1.2.3.4. 5. & 6. de viſibili Monarchia, Alanus Copus in primo Dialogo, Thomas Stapletonus lib.6.controuerſ.de principijs fidei, Ioannes de Turrecre.lib.2.de Eccleſia, Franciſcus Vict.in relect.de poteſt.Eccle. Caſtro lib.12.contra hæreſes, Melchior Canus lib.6.de locis Theologicis, Soto in defenſione ſuæ confeſſionis à cap.74. vſque ad finem, Franciſcus Varga de Pontificis poteſtate, Franciſcus Horantius lib.6.de locis Catholicis, Frãciſcus Turrianus contra Antonium Sadelium, S.Thom.Opuſculo contra Græcos, S.Antoninus tertia parte ſummæ titu. 22. Thom.Caietanus in lib. de inſtitutione, & auctoritate Pontificis, Thomas Campegius in lib.de Põtificis poteſtate, Cardinalis Albanus lib.de poteſtate Papæ, Antonius Polus Venetus in Lucidario poteſtatis Papæ, Cæſar Delphinus Parmenſis de ſummo Romanis Pontificis principatu, Gaſpar Contarenus libro de auctorita. & poteſta. Pontific. Chriſtophorus Marcellus de poteſtate

Papæ

Papæ. Ioann. Gerson, & Ioannes Almain in lib. de potestate Eccle. Ioannes Doelphius in lib. 1. & 2. de Eccl. Petrus de Monte lib. de Monarchia, Frater Bartholomæus Spina de potest. Papæ & Concilij, Ioannes à Capistrano de potesta. Papę, & Conc. Ambros. Catharinus in executione disputatio. contra Luther. Thomas Rhadinus in oratione ad Principes Germaniæ: ex Græcis verò Gẽnadius Scholarius Constantinop. Patriarcha lib. de Primatu Pōtificis Romani: Mutius Iustinopolitanus aduersus Viretum pro Romano Pontifice.

Pontifex Romanus potestatem habet in seculares Principes. Cap. X.



AIT Vvaramundus, *Secunda, quòd diuino iure potestatem habet vtriusque gladij, Reges, Regnaquè mundi instituendi & destituẽdi; nimirum secundum illud, Reges Gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eos, vocantur benefici: vos autem non sic.* Et hic locus, qui ex Caluino, atque illius asseclis à te desumptus est, ab his omnibus, quos nunc recensui, satis superquè tractatur. Sed nè (quod dixi, & repetam sæpius) in silentio nostro causę tuæ patrocinium constituas, de hoc item breuiter nobis agendum erit. Itaque (vt rem altius repetam) in quauis bene cōstituta Republica alios quidem diuinos, alios humanos Magistratus habendos esse satis constat. Quid enim humanæ leges, quid Principum cōstitutiones proficerent, nisi sacris adiutæ præceptis Deo Optimo Maximo auctore niterentur? Præclara est, etsi vulgaris, Gelasij [1] Pontificis Maximi in epistola ad Anastasiũ Imperatorem (quam apud Iustinianum [2] item legimus,) sententia, Duas esse præcipuas in orbe potestates, Sacerdotalem

1 dist. 96. apud Grat. c. duo sũt.
2 Nouell. 6. quẽ. opor. Episcop.

dotalem, & Imperatoriam ab omnipotēte Domino ceu præstantissima munera mortalibus concessas. Nec enim in hoc absimilis existimādus est Christianæ Reip. nostrę status ab antiquo illo Romanorū iure, quod in sacris, Sacerdotibusquè, & in secularibus Magistratibus cōsistere scripsit Vlpianus [1], & quod apud Hebræos itē obtinuisse auctores sunt Eusebius [2] & Isidorus [3], vt ijdem essent & Reges & Pontifices, id apud nos obseruatur sola functionum & personarum distinctione inducta. Iam verò duobus hisce Christianæ Reipublicæ capitibus communis vnus eminet finis, religionis nempè nostræ ac diuinorū præceptorum obseruatio. Quamuis enim humanarum potestatum finis proximus, sit optima Reipublicæ constitutio & rerum ciuilium dispositio, negari non potest finem hunc illi alteri, vt præstantissimo, ordinari. Quod sanè recte explicatū est ab Iustiniano Imperatore, cum in Sacerdotio & Imperio ad optimam Reipub. constitutionem συμφονίαν quandam, idest harmonicum concentum nulla ex parte dissonum requirebat. Eius verò sententiam vt à sapiētissimo beatissimoquè Principe profectam, tum Concilium Parisiense canone 5. probat, tum verbis expressis cum honorifica illius mētione commendant Orientales Episcopi in epistola ad Tharasium Constantinopolitanum, quæ habetur in secunda Synodo Nicæna actione 3. *Sacerdotalis dignitas* (aiunt) *Imperij sanctificatio est & confirmatio: Imperium vero Sacerdotalis dignitatis robur & potentia: qua de re sapiens quispiam Rex, & inter Reges facilè beatissimus dicere solebat, maxima dona, quæ a Deo hominibus data sunt, Sacerdotij dignitatem & Imperium existimaui. Illa enim cælestia curat & dispensat, hæc autem legibus æquis & iustis omnia, quæ in terris fiunt, procurat.* Illud verò ad institutū nostrū multo dilucidius, quod apud Hormisdam Romanum Pontificem legitur in epistola ad Epiphanium Constantinopolitanum, quæ extat inter acta Synodi quintæ Constantinopolitanę, actione prima; vbi eandem sententiam Iu-

stiniani

1 L. 1. §. huius. ff. de iusti & iur.
2 Lib. 1. hist. cap. 5
3 Lib. 2. de diuin. off. cap. 1. cap. cleros. 21. dist.

ſtiniani (illa enim epiſtola in eius commendatione tota verſatur) ſic explicat: *Hinc ſupernæ miſericordiæ documentum perdocetur, quando & mundani Principes cauſas fidei cum Reipublicæ ordinatione coniungunt; & Eccleſiæ præſides, quæ ad diſpenſationem ſui pertinẽt officij, memores exequuntur.* Denique tritum eſt ἀλληγόρικον illud Euangelij de duobus gladijs, quos in Eccleſia ſufficere dixit Chriſtus: quaſi planè doceret (libet enim locum hunc cum Damiano Monacho ſermone primo in dedicatione Eccleſiæ παραφράζειν) tunc Regnum prouehi, Sacerdotium dilatari, honorari vtrumque, cùm felici confœderatione Domino iunguntur.

Eò verò ſacerdotium ſæculari Magiſtratu dignius habendum eſt, quòd hic corpori, & rebus externis, illud animæ atque ſpiritui potiſsimum inſeruiat. Ignatius in epiſt. x. ad Smyrnenſes; *Si enim cenſebitur pœna dignus qui aduerſus Regem inſurgit, vt qui violet bonas legum conſtitutiones, quanto pietatis grauiori ſubiacebit periculo, qui ſine Epiſcopo quid volet agere, concordiam rumpens, & decentem rerum ordinem confundens? Sacerdotium enim eſt omnium bonorum quæ in hominibus ſunt, apex: qui aduerſus illud fecerit, non hominem ignominia afficit, ſed Deum & Chriſtum Ieſum primogenitum, qui natura ſolus eſt ſummus Sacerdos Patris.* Nec verò hoc ſanus quiſquam inficiabitur; cum inter æterna, diuinaquè, & humana ac caduca facile ſit diſcrimen comprehendere. Quare ſi duas has poteſtates in Repub. Chriſtiana eſſe conſtat, ſi vtriuſque idem ſcopus eſt, diuinę videlicet legis obſeruatio, & vitæ æternæ aſſecutio: ſi inter has ſpiritualis præſtantior eſt & nobilior, iam ſequitur, vt (ſi vnam tantum Chriſtianam Rempublicam non plures amamus) fateamur ingenuè in temporales Principes ſpiritualibus Principibus poteſtatem a Deo, omnium Domino, conceſſam eſſe.

Itaque probandum eſt (vt tamen eorum interim ſententiam ſequamur, qui Pontifici Romano in hac parte quàm minimùm deferunt) ſpirituali poteſtati in vniuerſum Chriſti Gregem ratione iſtius (quem dicimus) fi-

nis vltimi imperium competere, in quoscunque illius perturbatores posse animaduertere, eorum iura tollere, Regna & Imperia mutare, & omnem denique iurisdictionem & coercitionem exercere; alioqui munus suum quod est (Gelasio [1] teste) pro ipsis etiam Regibus in diuino examine reddere rationem exactam; absque disciplina tueri nullo pacto possent.

[1] Cap. duo sunt. 96. distinct.

Præstant certè ad hanc veritatem demonstrandam firmissima documenta, scatent exemplis Christiani auctores, antiquissimorum Patrum testimonia abundant. Nos igitur, omissis his, quæ in ore omnium versantur, non abs re fore ducimus, si locupletissimum ex Cassiodo ro testimonium ostenderimus, apud quem libro secundo variarum, extat epistola ad Ioannem Pontificem Romanum in hæc verba: *Nunc supplicãdum vobis est, Beatissime Pater, vt lætitiam, quam per vos Deo largiente percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus. Nolite in me reijcere Ciuitatis illius curam, quæ potius vestra laude secura est: vos enim speculatores Christiano Populo præsidetis, vos Patris nomine vniuersa dirigitis, securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui diuinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis Gregem, tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni Patris est vtraque re fouere. Monete me quæ sunt agẽda sollicitè, bene agere vel correptus exopto.* Hactenus Cassiodorus. Qui quidem aptissima similitudine vsus est, vt potestatem hanc Romani Pontificis, de qua agimus, quasi delinearet. Vt enim se habet in homine spiritus & caro, ita se habent in Catholica Ecclesia potestates duæ, Sacerdotium & Imperium. Spiritus intellectum, & voluntatem habet, actiones obiectaquè; Caro sensus & appetitus, quibus itẽ sui actus & obiecta correspondent. His autẽ duobus finis vltimus & eminẽs vnus est, animę perfectio: vnde licet spiritus carnis actionibus non se immisceat, sed eam patiatur omnes illas libere

berè exercere, tamen quando eæ fini ipsius Spiritus officiunt, carni tunc imperat Spiritus, eam castigat, ieiunia indicit, pœnas imponit, sensus exteriores reprimit, & coercet. Non aliter, inquam, Ecclesiastica potestas, quoties vitæ æternæ, hoc est communis finis, imminet periculum, iure optimo sontes quosque continere, reprimere, & omnibus pœnis coercere potest. Hac eadem similitudine vsum videmus Gregorium Theologum in oratione ad Ciues Nazianzenos graui timore perculsos, & Præfectum irascentem: *An me* (ait) *liberè loquentem æquo animo feretis? non vos quoque Imperio meo ac throno lex Christi subijcit? Imperium enim nos quoque gerimus. Addo etiam præstantius ac perfectius, nisi vero æquum est* τῷ πνεύματι ὑποχωρῆσαι σάρκα καὶ τὰ γήϊνα τοῖς ἐπουρανίοις, *idest, carnem spiritui cedere & terrena cœlestibus*. Et Clemens Romanus libro secundo, consti. 38. *Si quidem ille* (Hebræorum Reges cum Christi Sacerdotibus comparat) *militaria tantum administrabat bello & pace ad custodiam corporis susceptis, hic vero Sacerdotium ad Dei honorem administrat, vt pericula ab anima & corpore propulset. Quanto ergo anima corpore præstantior est, tanto est Sacerdotium Regno excellentius: ligat enim aut soluit supplicio vel remissione dignos. Quocirca Episcopum oportet, vt Patrem diligere, vt Regem metuere, vt Dominum honorare.* His addere possemus celebre illud Constantini [1] Magni Imperatoris in epistola ad Episcopos Concilij Nicæni de potestate Pontificia testimonium: *Deus vos* (inquit) *constituit Sacerdotes & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi*. Valentinianus Imperator cum de Episcopi cuiusdam electione ageretur, *Talem* (dicebat) *in Pontificali constituite Sede, cui & nos, qui gubernamus Imperium sincerè capita nostra submittamus, & cuius monita, dum sicut homines deliquerimus, tanquam curantis medicamina suscipiamus.*

[1] Euseb. Histo. Eccles. lib. 10.

Iam si exemplo aliarum, Rempublicam Christianam licet definiri; quot, quæso, ex veteri lege (in qua tamen omnia in figura contingebant, & in qua à Regibus præcedebantur Sacerdotes) istius iuris documenta

menta ſacris literis mandata ſunt? Quot exempla in huius veritatis teſtimonium relicta? Nota eſt, (vt interim plurima omittam) Oziæ regis hiſtoria [1], quem Azarias Pontifex è templo eiecit, extra vrbem diſcedere iuſsit, Regno denique priuauit, & illud in Ioatham tranſtulit. Nec diſsimile quod à celebri Athaliæ Reginæ [2] narratione peti poteſt. Quam quòd ſtudio impietatis templum corrupiſſet, & tyrannicè inuaſiſſet regnum, Pontifex Ioada Regno deſtituit, Ioam ſuum alumnum in Dei timore educatum ſacro oleo perungit, deinde populus illius præcepto Regem conſtituit; Athaliam vero extra Templi ſepta iubet interfici. *Egreſſus autem Ioada Pontifex* (ait ſacra Hiſtoria) *ad Centurionee & Principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra ſepta Templi, & interficiatur foris gladio. Præcepitquè Sacerdos nè occideretur in domo Domini.* Ecce in impios Reges, qui Baàl cultum tribunnt, qui dijs alienis ſimulacra erigunt, quæ ſit Pontificis, ac Dei ſummi miniſtri poteſtas, quodquè ius, qui certè non regnis tantum ſpoliat, non ditionibus priuat, ſed illis etiam vltimũ mortis irrogat ſupplicium.

1 Paral. lib. 2. cap. 26.

2 Lib. 2. capi. 22. 23.

Iam ſi Ethnica exempla quæſieris, inuenies certè rerum diuinarum Sacerdotem ſummũ, quem Maximum Pontificem vocauit antiquitas, non ſolum rerum, quæ ad ſacra, & religionem pertinebant, fuiſſe Iudicem, ſed etiam contumaciæ priuatorum, Magiſtratuumquè. Definitur enim tam diuinarum, quàm humanarum rerum arbiter & Iudex [3]. Metellus [4] Pontifex Max. Poſthumiũ Cons. eundemquè Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à ſacris diſcederet, mulcta indicta, Vrbem egredi paſſus non eſt. Ab [5] Alexandro Seuero Imperatore iudicatas cauſas, à Pontificibus retractari, & aliter, quàm ipſe iudicaſſet, terminari ſolitas, docent Hiſtorici. Macrobius [6] auctor eſt, Regem ſacrorum, Flamineſquè quod non deceret, ferijs opus fie-

3 Ex Feſto.

4 Valerius Max. lib. 1. cap. 1.

5 Notauit Bapt. Fulgoſ.

6 Lib. 1. Satur. c. 16.

ri, per præconem denunciasse, nequid tale ageretur, & præcepti negligentes ab ipsis fuisse mulctatos. Æthiopum [1] Regibus tanta fuisse legitur Sacerdotij religio, vt illis à Sacerdotibus Iouis apud Meroem mors denunciaretur, quam illi statim, nulla interiecta mora, aut excusatione facta, oppetebant, ne sacerdotis dicto contradicerent. Tandem & apud ipsos veteres paganos Germanos, deorum ministri, quos sacerdotes appellabant, summæ erant auctoritatis. Sacris enim ignominiosos arcebant, in publicis concilijs præcipue moderabantur, & (quod iste veris Sacerdotibus nunc negat) in malos animaduertere, eos vincire, & verberare (velut dijs imperantibus) solebant: quæ omnia pluribus verbis apud Cæsarem, Tacitum, Strabonem, cæterosquè scriptores referuntur. His vtiquè exemplis pleni sunt & Romanorum Annales, & aliorum scriptorum libri, quę studiosus lector passim adnotare potest.

[1] Diod. lib. 4. c. 1.

Adde (vt ad Grammaticalia primordia istos relegemus) cõtra vocis ipsius significationem, & etymologiam eos omnino agere, qui Pontificem omni potestate & iure abdicatum esse volunt. Pontificem enim à posse & facere deduxit Scæuola, vt & Pontificium, pro iure, potestate, aut facultate faciendi vsurpat Imperator in lege prima, de bonis maternis, Pontifex c. cum sit, de auth. & vsu pallij, & in veteri relatione Stephani Episcopi, qui tẽporibus Regis Haistulphi, & Pipini vixit, ita scriptum est: *Ob venerationem prærogatiuæ eius, qui illigandi, & soluendi Pontificio claues Regni cælorum à Domino Iesu Christo accepit, &c.* Supererat, vt iuris huius à Romanis Pontificibus exerciti adduceremus exempla, sed cum prope innumera inueniantur, quisne eorum otiosa enumeratione Lectorem morari velit? Competit itaquè Summo Romano Pontifici Pastoralis (vt auctores vocant) in Orbem vniuersum potestas, quam illum tanquam

tanquam Oecumenicum Paſtorem ex eiuſdem Paſtoralis officij cura habere decet, pro conſeruatione Eccleſiaſticæ Hierarchię,pro muneris ſui adminiſtratione,pro diſpenſatione ſpiritualium Eccleſiæ bonorum, pro æternæ vitæ aſſecutione,pro mandatorum diuinorum obſeruantia. Quæ verò poteſtas,non ab homine,neque per hominem datur,ſed iure Primatus Apoſtolici, ab ipſoquè Saluatore Domino in illa hæres inſtitutus eſt,cum illi Ouile ſuum mandauit Chriſtus, & claues cælorum dedit, quibus videlicet oues ſibi commiſſas ad æternam vitam introducat; & cum inter has primariæ ſint Principes, iure optimo ſtudere debet vniuerſalis hic Paſtor, vt illorum dignitates, Regna, & Imperia ad conſequendam æterni Regni beatitudinem ſeruiant, in quam tanquam in ſcopum, ac finem vltimum (vt diximus) poteſtates omnes mundi proſpiciunt. Quòd ſi hæreſes, ſchiſmata, diſsidia, bella, & his ſimilia mala inter oues ſuas exoriri ſciat, quare non malorum auctores admoneat paternè? quare non corrigat & corripiat ſeuere? quare negligentes debitis cenſuris, & pœnis non coerceat? quare rebelles, & in reprobum ſenſum iam traditos omni iure non priuet? illorum poſſeſsiones, & iura ad filios morigeros non transferat? & deniquè, ſi opus ſit, mundi poteſtates in eos non concitet,qui communi omnium bono obſunt, qui ſchiſmata inducunt,qui quietem Eccleſiæ perturbant? Rectè quidem Carolus Magnus Imperator Chriſtianiſsimus, inter alia,quæ beneficentiſsimè in ſacros homines munera contulit, Epiſcopis gladium ſuum adiecisse legitur, vt haberent ſcilicet (vt ait Crantzius [1] veſter) quo & contumaces terrerent & punirent. Iudicabat quippè,& rectè iudicabat,Eccleſiaſticę poteſtati neceſſarium eſſe ad muneris ſui conſeruationē, coercitionis iure & poteſtate non deſtitui. Hoc autem eſt (vt omnis calumniantium malitiæ, quibus nihil præter occa-

1 In proœ. Metropol.

occasionem deest, aditus occludatur) quod Innocentius III. in elegantissima illa Decretali ad nobilem virum G. Montis Pessulani, quę habetur lib.4. Decretalium titulo Qui filij sint legitimi cap.13. his verbis explicuit: *Rationibus igitur his inducti Regi gratiā fecimus requisiti, causam tam ex veteri, quam ex nouo Testamento trahentes, quod non solnm in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verum etiam in alijs regionibus certis causis inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus.*

Scio quidem me (quod à principio admonui) in eā sententiam declinasse, quæ Apostolicæ huic Romanæ Sedi quam minimùm tribuit: sunt etenim auctores non pauci, nec contemnendi, qui vrgentissimis validissimisquè rationibus probant, Romanū Pontificem non solùm quam diximus, postetatem habere, sed absolutā & omnimodam temporalium rerum omnium iurisdictionem, quam per suos Vicarios temporales Principes exercet. Ita enim docet maior Doctorum [1] pars in c. nouit de iudi. in c. causam quæ, qui filij sint legit. Verum ne adulationis notam incurrerem, & ne tenellas adhuc Vvaramūdi aures offenderem, hanc potissimum sententiam probandam selegi: cicurari primum oportet illum tantisper; infantes enim lacte primum, mox minutissimis & delicatissimis cibis nutrire solemus: & illis, qui lippis sunt oculis, meridiani Solis radijs lucidissimis ex improuiso resistere, non datur, sed suboscuram primum necesse est, vt lucem prospectent.

Neque vero his obstat quod Ille ex Caluino [2] magistro suo nobis obijcit, illud scilicet Lucæ [3], *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent in eas, vocantur benefici: vos autem non sic, &c.* Verum enim istius loci sensum apertè explicarunt iam Catholici auctores, immo ex eodē Lucæ testimonio euidenter colligunt, Ecclesiasticam potestatem, quam diximus, à Deo esse constitutam, cum manife-

1 Abb. in c. si duob⁹. §. denique de appell. allegat plurimos Couar. in reg. possess. 2. parte. §. 9. nume. 7. & ill. Cardi. Alban. in additio. ad Barto. in l. 1. §. 1. ff. de requirendis reis, Doctor Martinus Azpilcueta in d. c. nouit notab 3.

2 Lib. 4. instit. c. 11. §. 8.

3 Cap. 22.

nifeſtum ſit Chriſtum inibi conceſsiſſe quidem Apoſtolis vti dominarentur & prçeſſent: præſcripſiſſe tamen dominationis formam, & eam vetuiſſe, qua ſolent mundani Principes tyrannicè & violenter imperium vſurpare in ſubditos; quod nimirum elicitur tam ex illius loci ſentẽtia, quàm ex verbis. Monet enim ſuos diſcipulos Dominus, vt in principatu adminiſtrãdo nõ Reges Gentium, ſed illũ imitẽtur, atque addit: *Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat &c.* Atqui ſi Dominus ſuo exemplo dominari iubet ſuos, manifeſtum eſt, ipſorum principatum non negare: nam de ſe dixit ille: *Data*[1] *eſt mibi omnis poteſtas in cælo & in terra.* & Paulus[2]: *In hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur.* 1 Matth. 28. 2 Cap. 14.

Damnat igitur Chriſtus non dominium in Apoſtolis, ſed tyrannidem, violentiam, libidinem, iniuriam. Quæ quidem omnia etſi aliquãdo tolerabilius in ſeculi Principibus inueniantur, à Chriſti tamen ſectatoribus longiſſimè arceri debent. Et hoc certè non obſcurè explicat nobis particula comparatiua, qua vſus eſt Lucas. Latino enim, Græco, & Hebræo ſermone in collatione, demonſtratione, vel affirmatione poſita ſimilitudinem denotat. Præterea quod hic genuinus ſit illius loci ſenſus, apparet ex proprietate verbi κατακυριεύειν, quod apud Matthæum Apoſtolum[3] item extat cum eandem ambitioſam Apoſtolorum contentionem in ſuo Euangelio enarrat: Οἴδατε, ait, ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Et apud Marcum Οἴδατε ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Κατακυριεύειν, etenim non ſimpliciter dominari ſignificat, ſed nimium, & quaſi violenter, vt notum eſt vel ijs, qui leuiſſimè Græcas literas deguſtarunt. Ita enim obſeruant illi omnes tam antiqui, quàm recentiores, qui de verbis Commentarios ſcripſerunt: immo & 3 Cap. 20.

Henr-

1 In Thesau. ling. Græcæ. Henrricus [1] ipse Stephanus κατακυριεύουσιν αὐτῶν dicto loco, non, *dominantur ijs*, vertendum censet, sed potius *dominantur in eos*, vt Latina præpositio accusandi casui iuncta, præpositionis Græcæ κατὰ vim exprimat, quæ frequentius in malã partem accipitur. Simile est illud, quod legimus Iosue 15. cap. (vt exemplis innumeris supersedeam) cum Chaleb delere funditus desiderans Cariath Sepher, sic ait, ὡς ἂν λάβῃ τὴν πόλιν τῶν γραμμάτων καὶ κατακυριεύουσιν αὐτῆς, vbi Diuus Hieronymus vertit; *Qui percusserit Cariath Sepher & ceperit eam, &c.* idest dominatus fuerit eius tamquam captiuæ, & iure belli potestatem illius adeptus, de illa tantum sibi licere putauerit, quantum dominis in seruos iura permittunt, iura, in

Exo. 21. quam, illius populi, in quo ita cautum reperio [2]. *Si quis percusserit seruum, aut ancillam virga, & mortuus fuerit in manibus eius iudicio vindicetur. Quod si superuixit vno die, aut duobus, non vindicabitur, pretium enim ipsius est, &c.*

Quod si prædictam interpretationem non admittunt isti, necesse est, vt non solum potestatem in seculares personas & Magistratus, Romanis Pontificibus denegent, sed etiam illis in Ecclesiasticas personas, quæ pro-

3 Distin. 96. 11. q. 1. priè Ecclesiastici fori sunt [3], iurisdictionem adimant. Petrus etenim Apostolus in priori epistola c. 5. sic ait. *Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator, pascite qui in vobis est Gregem Dei prouidentes non coactè, sed spontanee secundum Deum, nec turpis lucri gratia, sed voluntariè, nec vt dominantes in Cleris, sed forma facti Gregis ex animo.* Vbi Græcus cõtextus eandem vocem κατακυριεύειν habet, Μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. Sed in eundem sensum accipiendus est Petrus. Tyrannicum enim & violentũ dominium & herilis dominij conditionem in Episcopo damnat: dominium vero non negat. Quapropter cum probanda sit in Romano Pontifice summa in seculares quosuis Principes potestas & imperiũ, illud tamen administrare debet

tanquam

(hoc enim Vvaramundo libenter dabimus) tanquam Pastor in Gregem, non vt tyrãnus in subditos: tanquam qui in sublimiori loco constitutus est à Domino, non tamen vt illi, qui non tam diuino munere, quàm suis aut natalibus, aut artibus imperiũ acquisierunt, quos diuinus spiritus Principes mundi huius vocat, vt explicat Basilius Magnus; & hoc est, quod Princeps ille Pastorũ (vt vocat ibi Petrus) docuit Apostolos eo loco, ex quo *fallas atque fallaces opiniones suas* (vt August. [1] verbis vtar) isti conãtur defendere, *Omnes scripturas sine sensu loquũtur Hæretici:* (Hilarius [2] Pictauensis ait) *fidem sine fide prætendunt. Scripturæ enim nõ in legendo sunt, sed in intelligendo: nec in præuaricatione sunt, sed in charitate.*

1 Lib. 1. de Trini. c 3.
2 Lib. 2. ad Constant.

Iam quod eo modo intellexerint locum illum sancti Patres, testis est Chrysostomus, qui Christum ibi non solum Apostolorum contentionem, sed & Gentium item tyrannicum principatum reprehendisse docet: *Ita Gentium* (ait) *moris esse ostendit, prima quæquè appetere; tyrannica enim hæc passio est, & nonnunquam eximios etiam viros perturbat. Quapropter cum vehementiori castigatione indigent, acrius etiam ipse insurgit comparatione Gentium tumentem ipsorum animum retinens. Ita horum quidem inuidiam, illorum vero arrogantiam succidit, &c.* Nam & idem Chrysostomus [3] alibi, imperium in Episcopo non negat, lenissimum tamen esse vult, & à sæcularium Principum imperio diuersum: *Ob eam causam* (ait de Ecclesia loquens) *quoduis eam meritò nuncuparis, tribunal nempe & medicinæ officinam, & Philosophiæ scholam, & animæ ludum literarium, & gymnasium cursuum in cælum ferentium, &c.* Quibus verbis concedit Chrysostomus vniuersale tribunal in Ecclesia esse. Vult tamen charitatem paternam, & Christianam pietatem cum hac potestate coniungi: & in hoc discrimen constitui inter Ecclesiasticos Principes & sæculares. Hoc enim agit Chrysostomus tota illa homilia. Sed & Origenes Chrysostomo antiquior ex persona Christi eundem locum Lucæ tractans: *Principes Gentium* (ait) *non contenti tantum*

3 Homi. 44. in Psal. homi. 2. in Acta. homil. 15. in epistolã Pauli ad Corinthios.

regere suos subiectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem qui estis mei, non erunt hæc: & qui principatum desiderat Ecclesiæ, debet fieri omnium seruus in humilitate seruili, vt obsequatur omnibus, in his, quæ pertinent ad salutem. Et infra: *Non ista dicimus vt inclinemus Ecclesiasticum principatum: est enim interdum quando secundum vocem Apostolicam peccantes coram omnibus arguunt, vt & cæteri metum habeant: est aliquando vt vtens potestate sua tradat peccantem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluetur in die Domini nostri Iesu Christi.* Deniquè eam seruare debent dominandi formam, quam appositè descripsit Ionas Aurelianensis Episcopus, vir doctus & pius libro secundo aduersus blasphemias Claudij Taurinensis hæretici εἰκονομάχου dum obiectioni illius respondet, qua cauillabatur illum plus æquo Monachis suis imperitare, atque ait: *Priuatam seruitutem subditis non impono, nec imposuisse recolo, sed voce Gedeonis circa subditos vtor. Non [1] dominabor ego vestri, nec dominabitur vestri filius meus, sed dominabitur Dominus. Vereor namquè ne mihi cum superbis, infidelibusquè pastoribus pars ponatur à Pastorum Pastore in terribili examine, cum eis dicatur, [2] Cum auctoritate imperastis eis, & cum potentia, &c.* Quod certè ita agnoscunt ipsi Pōtifices nostri. Gregorius enim Magnus libro primo epistolarum 24. epistola, ait, *Summus locus bene regitur, cùm is, qui præest, vitijs potius fratrum, ac multo magis suis, quàm fratribus dominatur.* Libido ergo dominandi, tyrannis, & violentia ab Ecclesiasticis potestatibus longè arceri debent: talis principatus in his constituendus est, qualem veros ministros & Vicarios Principis Christi decet, cuius imaginē exprimunt. Sed tamen principatus concedendus, potestas agnoscenda, & ea certè, qua, si opus sit, & ad Dei gloriam, & ad animarum salutem expediat, secluso omni humani affectus prætextu, Principes mūdi instituere & destituere possint. Hanc enim potestatem tradidit illis Christus, hanc probarunt sancti & antiquissimi Patres, hanc Reges ipsi, & sęculares Principes agnouerunt, hanc maximo religionis Magistratui, vel ipsi Ethnici concesserunt. Quicquid obla

trent

[1] Iud. 8.
[2] Ezech. 34.

trent calumniatores isti perfidi, & mendaces, qui cum illo altero Luciano impio adulatore (vt ait Lactantius) humanis scurrantes Principibus, illorum veræ gloriæ vanis adulationibus insidiantur.

Romanus Pontifex, Vicarius est Christi: legum condendarum potestatem habet; Religionis libertas, quam Truchsius Apostata suis indulsit, misera fuit seruitus. Cap. XI.

DEINDE sic obijcis: *Quod res istas credi, & certò teneri necesse est sub pœna damnationis æternæ, quia Pontifex vices Christi in terris gerit, nempè argumento illius dicti, Potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere conijciens in gehennam.* Auctoritatem & Primatum sacrosanctæ huius Romanæ Sedis, & nos (otiose forsitan vt videbitur multis) demonstrauimus; & illi omnes orthodoxi auctores, quorum mentionem fecimus, satis superquè docent. Tu hic eandem cantilenam rursus occinis, atque iterum ad eundem vomitum redis. Quinetiam vt magis palàm impudentissimam audaciam tuam profundas, lolium quidem tritico, & fæcem vino commisces, id est, diuinæ Scripturæ testimonia temerariè vsurpas, quibus scilicet putidissimos fœtores hos tuos (quos si nudos, ac simplices exhalasses, aerem ipsum inquinares) veluti cælesti quodam aromate inspergas: facis num etiam quod ij solent, [1] qui paruulis austera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumliniunt, vt incauta ætas, cum dulcedinẽ præsenserit, amaritudinem non reformidet. At quì (Vvaramunde) cum Christus Saluator noster, eiusquè spõsa Ca-

1 Ex Vincent. Lirinensi.

tholica Ecclesia cælesti Spiritu illustrata, non obscurè sacrosanctæ fidei nostræ dogmata fidelibus tradiderit; his auctoribus, orthodoxi inter alia credimus ac fatemur, Christi Redemptoris nostri Vicarium fuisse Petrum Apostolum, qui primus fuit Pontifex in Ecclesia Christi, nouiquè Testamenti sacerdos, cuius arbitrio cælestis Regni potestas tradita est, hoc est fidei nostræ, quam à Magistro suo accepit, vera declaratio, & expositio, in qua post Primatum acceptum (vt verè docuit Hieronymus [1]) error locum habere non potuit. Petro verò in eadem orbis cura & potestate, vt verissimos Christi omnipotentis Dei Vicarios, Romanos Pontifices succedere æquè probamus. Itaque (Vvaramunde) res quidem istas credere necesse est, nō certè pręcipuè quòd humana lex aliqua sic illas constituat, sed quòd diuino verbo & præscripto planè præcipiantur. Quapropter qui hæc non crediderit, non homini infidus est, sed Deo: ipsiquè sancto Spiritui se opponit. Cum igitur hæc sint solidissima Religionis Christianæ fundamenta, quid oberit, quæso, quominus verba illa Matthæi, quæ tu spurcissimo ore contaminas, quæ de Christo iam olim dicta sunt, Romanis non item Pontificibus propriè adaptari possint? Christus cum mitteret Apostolos, vt Euangelium annunciarent mundo, hoc vno dicto illorum imbecilles animos adhuc confirmabat, & aduersus mundi principatus muniebat, suam nempè eximiam potestatem significans, qui non corpus, vt illi, sed & animam etiam poterat perdere; ita nimirum de Christo interpretati sunt locum illum & Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Ioann. cap. 10. & Augustinus [2] mille locis, vt alios omittam. Non igitur est hæc nostra anicularis quædam fabula (vt eiusdem Augustini verbis vtar) sed Prophetica certè prædictio de Vicarijs videlicet Christi Romanis Pontificibus, quos referre scimus, vt Diuus Bernardus [3] ad Euge-

1 Matth cap. 16.

2 In Ioann. tracta. 47. c. 10. Idem de verb. Apost. serm. 18. Idē cōtra Faust. Manich. lib. 15. Idē contra aduersarium lib. 1. c. 16.

3 Lib. 2. c. 8.

Eugenium ſcripſit, Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedec, dignitate Aaron, auctoritate Moyſen, iudicatu Samuel, poteſtate Petrum, vnctione Chriſtum. At hic (quamuis ab inſtituto digrediar) Chriſtianum lectorem voco, vt quanta ſit Hæreticorum calumnia, quàm reproba mens, facilè noſcat. Ex vno enim eodemquè ſcripturæ teſtimonio alios atque alios, ſæpè etiam inter ſeſe contrarios errores perfidè ac ignoranter eliciunt, cuius rei ſit illi teſtimonio locus hic Matthæi, in quo verſamur. Vvaramundo enim hęretico aut planè (vt ſuſpicor) αὐτοκατακρίτῳ aut eorum, quibus nomē dedit, peruerſorum dogmatū ignaro, cōtra Vicariam Romanorum Pontificum poteſtatem Achilles fuit. Ipſi ſui Caluiniani proceres quartam catholicam veritatem de condendarum legum poteſtate, quam ille mox vellicat, eodem Matthæi teſtimonio abuſi, impugnant: alij autem ex eodem ipſo ſacro loco expreſsè colligi ſomniarunt, animam ante corpus cōditam eſſe, & corporis non eſſe formam. Quid, obſecro, magis diſcrepans excogitari potuit? quid inter ſe diuerſum ac diſparatum magis? quid, quæſo, quātumuis inauditum prorſus, ac omnino incomprehenſum ab tam multiformibus Vertumnis ſperari non poſſit?

Quarta propoſitio, (ait) *quòd nouas leges de cultu Dei, doctrina, & Sacramentorum mutatione ferre poteſt arbitratu ſuo; eaſquè leges ſummo in pretio haberi iubet, vt quæ non æquiparandæ ſolum; ſed etiam anteponendæ ſint Scripturis ſacris, Deiquè ipſius legibus, & ſine peccato nequeant prætermitti, ſcilicet huic bellè cum Iacobo conuenit dicente, Vnus eſt Legiſlator, qui poteſt ſeruare, & perdere.*

Quòd Pontificibus Romanis vti ſummis, & maximis Chriſtianæ Reipublicæ Principibus, legum condendarum poteſtas à Deo tributa ſit, auctor nobis eſt ipſe Chriſtus; qui quidem Apoſtolos ſuos allocutus: *Sicut me miſit Pater,* (dixit [1]) *& ego mitto vos.* At potuiſſe Saluato- 1 Ioan. 20.
rem leges condere, potuiſſe illarum tranſgreſſores punire;

nire, potuisse sub peccati pœna ad earum obseruantiam constringere quis neget? Quare sequitur, potestatem hanc successoribus Petri (qui Ecclesiæ Princeps & caput fuit) iure deferri; atque ita quidem deferri, vt sine dispendio æternæ salutis (etiam scandali occasione cessante, quod vestrum fuit delirium) Pontificum decreta, & constitutiones omitti non possint, cum ius hoc verbo Christi ad Ecclesiæ Pastorem spectet. Ita enim prædictum locum Ioannis explicant Græci Patres Chrysostomus, & Theophylactus. *Suum* (inquiunt) *reliquit eis ministerium Christus, dicens, opus meum suscipite.* Et Cyrillus [1] Alexandrinus de miraculo quinque panum & duorum piscium loquens, quibus Dominus multitudinẽ saturauit: *Ad hæc miraculosè multitudo illa quinque panibus & duobus piscibus ad saturitatem fuit accepta, quæ vetera & noua Scripturæ mandata fidelibus per Apostolos apposita intelligebamus, cuius ministerij plenam & Apostoli, & illorum successores gratiam possidebunt.*

[1] Ioan. cap. 20. lib. 3.

Nam illud quod ais, *Quòd nouas leges de Sacramentorũ institutione ferre potest arbitratu suo*; ridiculum est, Vvaramũde; quid enim calumniosum, liuidum, ac planè fabulosum dicam quod vel tuis ipsis tale esse constat? Obduximus, mihi crede, longa mẽdaciorum vestrorum assuetudine callos, nec aliud prȩterea quicquam à tam insigni fraudum officina expectamus, quàm meras nugas, vanissima commẽta, absurdissimas imposturas. Quis enim Catholicorum dixit vnquã summos Romanos Põtifices posse Sacramẽtorum mutationem facere? quem tu nobis sententiæ huius auctorem monstrabis cuius scilicet hac in re à Catholicis probetur opinio? An non esset hoc monstrosum quid, & vt Logici vocant manifeste ἀντιλογία? scilicet, si illi ipsi, qui Romanos Pontifices, quo ad gubernationem Ecclesiæ, Vicarios Christi fatentur, probarent, simul Sacramentorum mutationem ab eisdem posse in Ecclesia induci? Quid enim aliud est Ecclesia, quàm fidelium vnio per fidem,

dem,

dem, ac fidei Sacramenta constituta? Quapropter, sicut non licet Romanis Pōtificibus aliam Ecclesiam formare, ita nō licet eis aliam fidem tradere, nec alia Sacramenta iinsttuere: ac demum ea tantum, quę de latere Saluatoris cruci affixi, fluxerunt Sacramenta, per quæ & Ecclesia fabricata est, & quorum virtus ex sola Dei virtute pendet, illos suspicere, & venerari conuenit. Rectè docent orthodoxi Theologi, nec eam potestatem circa hæc diuina mysteria, quā diuinæ naturæ in Christo inesse agnoscimus, & *Auctoritatis* vocamus, atque eiusdem conditionis cum ipsa ineffabili diuina ὀσία facimus, hominibus potuisse communicari: nec illam rursum, quam ἐξοχλὼ dicunt, quæ Homini Christo competit, etsi potuerit quidem, (vt verior habet sententia) illam Ecclesiæ ministris communicasse. Apage igitur, Vvaramunde, tuum istud nocentissimum nobis commentum. Hæc enim nos probamus, non quæ tu confingis; hæc sequimur, hæc profitemur. Deinde illud quàm candide, quod de eisdem Ecclesiasticis legibus ex Catholicorum persona, subiungis: *Quod non æquiparandæ, sed anteponendæ sint sacris Scripturis.* Non ita res habet, Vvaramūde. Suprema enim atque inuiolabilis apud nos est, (vt verò esse debet) sacrarum Scripturarum, ac verbi Dei auctoritas: nec cum hac aliqua ex parte humanę legis potestas comparanda. Quod si nos fortè his verbis accusas, vt qui Pontificum decretis, diuinum ius vllo modo violari posse probemus; id æquè falsò te comminisci, constanter affirmamus. Diuinam enim voluntatem humana (etsi Pontificia sit, quæ summa est) contrà stare non potest: nec in eo iure propria dispēsatio (vt communi scribentibus vtar voce) vlla ratione permittitur: tantū abest, vt contraria legi Dei (quando hoc maleuolè innuis) sancire posśint Pontifices. Vrbanus [1] Pontifex: *Sciendum est* (aperte ait) *quia inde Romanus Pontifex nouas leges condere potest, vbi Euangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam*

1 c. Sunt quidam 25. quæst. 1.

quaquam dixerunt. Et Euaristus ad Narbonensis Prouinciæ Episcopos in eandem sententiam eleganter rescripsit. Itaque interpretatio, atque explicatio diuinorum præceptorum ad Romanam Sedem pertinet: eorundem verò correctio, mutatio, abrogatio, ratione haud comprehendi potest, vt spectet. Post hæc, quàm accommodatè, quod putum Caluinismum affectans, etsi præposterè vsurpato Iacobi Apostoli testimonio, criminaris: *Vnus est Legislator, qui potest seruare, & perdere?* Cur enim hoc legentium animos moueat, cum planum sit multo aliter Legislatorem esse Christum, & aliter Romanos Pōtifices? Christus quidem auctoritate propria leges condidit. Christus nullum se superiorem Legislatorem, iudicem, principemve habuit. Christus vnus fuit Legislator, quia ipse vnus noui Testamenti auctor fuit, instituit Ecclesiam, Sacramenta fundauit; & consequenter & saluare potuit, & perdere. At Romani Pontifices, non auctoritate propria leges præscribunt, sed Christi, à quo sciunt potestates omnes esse, per quem Reges regnant, legumquè conditores iusta decernunt. Quod si tu Legislatorem nullum, præter Christum, admittis, nec condendarum legum facultatem vlli alteri permissam contendis, quì, quæso, Principū sæculariū potestatē tueberis, quorū legitimis sanctionibus regimur? qui Aureæ Bullæ à Carolo euulgatæ (quæ tuus est aries in hac Coloniensi causa) firmitatem defendes? quì Coloniensis ciuitatis municipalia iura, quibus multum inniti te simulas, à tua ipsius malitia vindicabis? Vanè igitur Iacobi testimonio doces, Romanos Pontifices summos, ius istud non habere, quos quidem Christi Legislatoris summi Vicarios aduertere debuisses, quos ingenuè agnoscere, id statuere Christiano populo, quod acceperunt à Christo, vt ait Apostolus.

Illud sequitur: *De turpi & flagitiosa vita Gebhardi Truchsij quod dicit*

dicit Pontifex vtrum vitam criminatur, quæ antecesśit: an eam, quam in Episcopatu gesśit. Etenim vt vitam suam instituit Gebhardus ante susceptam functionem eius vitæ, rei sunt Pontifices, apud quos vixit, & a quibus corruptam doctrinam & mores perditos didicerat. Hoc ipse non obscurè publico scripto confessus est. Proinde si quid in eo homine turpe, si quid flagitiosum fuit, id duobus nominibus Papa præstare debet, tum quia sic instituerant Pontificis animum, vitamquè ipsius, tum quia sic institutum curauit in hoc fastigium honoris euehi, euectumquè comprobauit.

Hactenus Vuaramundus: cuius si præsentissimam audaciam consideres tum in Pontificum vitijs recensendis, tum in Truchsij virtutibus commendandis, nullo certè negotio in crimen nos voces, quòd illorum gesta immeritò probemus, huius autem innocentiam iniustè traducamus. At, bone Deus, quam apertè tam fatua insipidaquè istius mendacia deprehendi possunt: quàm facile nec vel leuissimo saltem pigmento fucata malitia detegi. Et verò si longè quærenda nobis essent testimonia, si nostro sæculo antiquiores res repetere, si obscuritate factorum latentem veritatem indagare opus esset, laboris aliquid imposuisse nobis videretur iste: verũ cum ea criminetur, quæ in omnium memoria sunt, quæ nos vidimus, quæ nunc videmus, facillimum erit cuique, illius calumnijs respondere. Gebhardus enim sub duobus Pontificibus Romæ vixit, quibus, singulari Dei beneficio, paucissimos recensere possis magis pios ac sanctos. Pij V. summam vitæ innocentiam, Religionis zelum ardentissimum, indefessam pro Dominico grege solicitudinem nulla sæculorum delebit inuidia. At Gregorij, (cuius Apostolatu feliciter nunc fruimur) purissimæ vitæ integritatem, iustitię obseruantissimam mentem, verè paternam erga omnes pietatem, præclarissimas denique ac tanta maiestate dignas animi dotes, quas præsens ætas admiratur, futura amissas dolebit, quis liuor obscurare possit? Cum autem Beatissimum Pontificem ta-

lem Dei gratia esse vniuersus orbis profiteatur, qualem misera hæc, in quæ incidimus, tempora postulabant, tum maximè Germani ipsi in omne illum æuum prædicabũt. Quem enim sanctissimus vir lapidem non mouet, vt eximij nominis natio ad pristinum illum suum Catholicæ Religionis statum, quo cęteris nationibus vnicum fuerat exemplum, reducatur? Quoties prædicat, instat, arguit, obsecrat, increpat, (vt monuit Apostolus) vt ad Ouile Christi vagam, & errantem ouem ducat? Iam verò quot nobilissimos Germanię viros, quos furor hęreticus exagitat, exulesq; agit, benignissimè Romæ alit? Quot doctrina pręstãtes homines eadẽ calamitate, patria pulsos fouet, & liberalibus officijs prosequitur? Quot denique iuuenũ manus incredibili tum solicitudine, tũ sumptu in eo Collegio, quod Germanorũ nuncupatur (sunt enim alia plurima ab eodẽ sanctissimo Pontifice in Vrbe erecta aduersus arma Diaboli, illiusquè satellites Lutheranos, Caluinistas, cæterosquè id genus hæreticos) Romæ, inquã, institui & ornari iubet? videlicet vt nouellæ hæ propagines inter illas infructuosas, quas plantauit Dæmon, adolescant, & aliquãdo earum vbertate inimicum zizanium suffocetur, isquè sequatur fructus, quem sanctissimus Põtifex quotidianis precibus à Deo omnium bonorum auctore feruentissimè efflagitat. Pari quidem munificentia tanto principe digna, & zelo tam sancto pastori proprio nõ solum Germanis beneficus est, sed per vniuersum orbem plurima Collegia, maximo labore & sumptu ab eo erecta, altaquè ad propagationẽ orthodoxæ fidei extãt: hoc pręsentissimum remedium ratus recentibus, quibus Ecclesia laborat, morbis, & quod Iulianus Imperator efficacissimũ esse putauit ad Christianæ Religionis extinctionem, si videlicet literariæ scholæ, liberalesquè institutiones Christianis interdicerentur: id copiosè cunctis suppeditari prudenter vult, & hoc sancto consilio Dæmonis

monis

monis artibus obuiare parat. Testis quidem est horum omnium Gebhardus ipse, qui præsens, hæc Romæ sedulò curari vidit. Testes Christophorus & Carolus Gebhardi fratres, qui in ipso Germanorum iuuenum conuẽtu fuerunt. Haec igitur sunt pessimæ institutionis documenta, quæ Romæ Truchsium hausisse dictitas? Hæc quæ sanctissimis duobus Pontificibus Pio, & Gregorio imponis?

Post hæc, summam Gregorij Pontificis Maximi benignitatem, qui Truchsium iuuenem adhuc, simulata tamen ingenuitatis indole, optimam de se opinionem concitantem, ad Coloniensem Pontificiam dignitatem euexit, quasi crimen obijcis, & quod vel vt maximum beneficium debuisses agnoscere, vel saltem tacendo, turpissimę ingratitudinis Truchsij cõscius, pudore præterire, adeò es perfrictæ frontis vt illum pro beneficio maleficium retulisse, (quemadmodum est in prouerbio) palàm declares. Quid enim aliud cum personas? *Quid est, quod Pontificia cohors reprehendit? Quod de functione sua cogitauit? Laudabile est.* Imo vero nihil ille fecit minus, quàm cogitare de functione sua: hoc est de Episcopali munere, hoc est de recta populi sui institutione, hoc est de orthodoxæ Romanæ fidei cultu, hoc est de huius sacrosanctæ Sedis dignitatis conseruatione. Quid enim commune habent ista cum sacrilegis nuptijs Caluiniano pronubo contractis? cum impijs, nefarijsquè erroribus, quos duobus edictis publicè propositis professus est? cum iniurijs, violentijs, rapinis, quibus Coloniensem vniuersam ditionem deuastauit? Adiungit verò dictis Vuaramundus: *Quod libertatem Religionis ausus est indulgere? at bona fide & conscientia non potuit denegare.* O gloriosi libertatis vindices, siue, vt proprius loquar, abiectissima miserrimæ seruitutis mancipia. In libertatem quidem filiorum vocati estis à Christo, veteris legis seruitute sublata, vt per charita-

tem spiritus inuicem seruiatis: non verò vt libertate in occasionem carnis abutamini. *Hæc enim illa libertas est,* (vt referam Paciani [1] Barchinonensis verba) *qua non omnibus illis adstringimur, quibus veteres tenebantur, sed donata delictorum silua & remediorum indulgentia destinata, in pauca conclusi sumus & necessaria, quæ & seruare facillimum est credentibus, & cauere: vt meritissimè tartarum non recuset, qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca seruauerit.* Et Irenæus [2] Paciano antiquior. *Etenim,* ait, *lex seruis posita est, per ea, quæ foris erant corporalia, animam erudiebat, velut per vinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, vt disceret homo adseruire Deo. Verbum autem liberans animam, & per ipsam corpus emundari docuit. Quo facto necesse fuit auferre quidem vincula seruitutis, quibus iam homo assueuerat & sine vinculis sequi Deum. Superextendi vero decreta libertatis & augeri subiectionem, quæ est ad Regem, vt non retrorsum quis renitens indignus appareat ei qui se liberauit. Eam verò pietatem & obedientiam, quæ est erga patremfamilias, esse quidem eandem & seruis & liberis, maiorem autem fiduciam habere liberos, quoniam sit maior & gloriosior operatio libertatis, quàm ea, quæ est in seruitutem obsequentia.* Non igitur Christi lex libertatem eo modo indulget, quo vos prædicatis, non omnia septa effrenatè & temerè transilire permittit, vt vos facitis; sed monet vt simus in obedientia præceptorum, vt augeatur in nobis subiectio, quæ est ad Deum, vt tanquam filij maiori quidem fiducia, quàm serui, sed nihilominus in obedientia paterna constituti simus. Denique vt vltro Christianum officium præstemus; seruiamus Deo in iustitia & sanctitate [3]: Ducem [4] sequamur spiritum in lege charitatis, iustitiæ serui, obedientiæ filij, humilitatis cultores, patientiae custodes, pænitentiæ & crucis amatores. Eleganter quidem Christianæ libertatis conditio expressa est ab antiquissimo auctore Ænea Gazæo in Theophrasto, cuius ex trãslatione Ambrosij Camaldulensis talia sunt verba: *Vera libertas & imperium illi est, qui verè bonus est, & obtemperare vult. Oportet igitur eos qui rationales sunt, spontaneè huic imperio quanta possunt reuerẽtia parere si suo iure, &*

1 In Panæresi ad pænitentiam contra Nouat.

2 Lib. 4. cap. 27.

3 Psal. 53.

4 Lu. 1. 2. ad Corint. 3. Rom. 6. ad Corint. 9. 1. Pet. 1. Luc. 21. Matth. 4.

iure, & sua libertate frui volũt. A creatore enim acceperunt libertatẽ tanquã maximũ æternitatis documẽtũ: qui vero maximo rerũ gubernatori coactè inseruiunt, & ad potentiã anhelant, bonasquè leges violant, ij ab recto ordine auocati incidunt in confusionem. Quapropter cum libertas nostra (vt Cæsarij [1] Arelatensis verba referam) sit Dei gratia, cultus religionis, iustitia operis, puritas castitatis; Vestra ex opposito cum hac pugnans abiectissima seruitus, & miserrimum ergastulum dici iure potest. Huius enim solius prætextu faedis voluptatibus mancipati, quidquid libet, id vobis licere arbitramini: hocque specioso libertatis nomine ignarum populum irretitis. Libertatem nãquè pro foribus inscribẽtes vanè illam venditatis, cum tamen, vti diximus, sordidissima, vilissimaquè sitis Diaboli mancipia. At quid ego plurimis moror, dum istorum miserrimum vitæ genus exprimere cupio, cum iam olim illi à Petro [2] Apostolo sic ad viuum fuerint expressi, vt nihil præterea aliud quàm horum temporum vanos libertatis iactatores depingere voluisse dicas? *Hi* (ait) *velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant, blasphemantes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iustitiæ uoluptatem existimantes dici delicias. Hi sunt fontes sine aqua & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur. Superba enim uanitatis loquentes pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.*

1 Hom. 3. de Paschate.

2 Episto. 2. cap. 2.

Hæc Petrus, quem imitatus Abbas Teonas apud Cassianum æque graphicè eãdem Lutheranam libertatem descripsit. Illius igitur verba hic adducere non recusabo, vt Christianus lector agnoscat antiquissimum fuisse istud Hæreticorum ingenium. *Nonnulli* (ait) *consiliorum, atque exhortationum Christi magnificentiam negligentes, ita præsumptiuæ libertatis securitate soluuntur, vt non solum Christi præcepta tanquã ardua nõ attingant; verũ etiã ipsa illa quæ illis incipiẽtibus par*

uulisquè

nulisque Mosaica lege mandata sunt, velut antiquata contemnant (illud quod Apostolus execratur) noxia libertate dicentes, peccauimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia. Qui ergo nec sub gratia est, quia nequaquam Dominicæ doctrinæ culmen ascendit: nec sub lege, quia & ipsa illa paruula legis mandata non suscipit, hic duplici peccatorum oppressus imperio ob hoc solum gratiam Christi percepisse se credit, vt per noxiam libertatem ab eo fieret alienus, in illud incidens, quod Apostolus Petrus ne incurramus enuntiat. Quasi liberi (inquit) agite, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Hæc vero libertas, quòd nunquam nisi ibi sit tantum vbi Dominus commoratur, Paulus Apostolus docet; Dominus (inquiens) spiritus est, vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Hactenus Teonas. Prophanam igitur licentiam, non immunitatem Truchsius concessit suis, in miserrimamquè seruitutem illos redegit, non, vti vanè prædicas, libertatem indulsit.

Sed ais, *Eorum criminũ quæ hic Gebhardo inferuntur, Primum est consuetudo, consiliorum communicatio, & foedus cum primarijs Hæreticis diuersarum sectarum. Iam ne videtis, o illustrißimi Principes, generosi proceres, pij Germaniæ alumni, Iam ne videtis omnes sine discrimine Hæreticos dici, reos peragi, damnari, & in posterum si qua sese dabit occasio (quod gratiosè auertat Dominus) commune in omnes malum peruenturum esse?* O insulsissimum scurram, ò ineptissimum criminatorem; te te ipsum hìc ignorãtia, malitia, fraudulentia, calumnia superasti. Quò tendunt futiles istæ tuæ strophæ? Quem credis tam inanibus assentationibus in offensionẽ Romanæ Ecclesiæ posse pellicere? Vide quò sis prolapsus. Gregorius Pontifex (ais) damnauit Truchsium, quòd primarijs hæreticis communicauerit, quòd cum his fœdus inierit, quòd eorum erroribus se implicuerit; Vos ergo omnes, Principes illustrissimi, vnà damnat Gregorius. An nõ iam inscitiam tuam deprehendis, qui colligis (falsissimè quidem, Deo sit gratia, si id de industria affectasti) Principes omnes Germaniæ primarios esse hæreticos? nam de his loquitur Pontificium decretum, non de Catholicis, quales esse constat Germaniæ Principes. Tui ergo ipsius commentum est istud.

istud, tua hæc machinatio, tuus iste dolus & maleuolus animus. Iam si alio nomine Gebhardum excusas, & arctam cum his, quos & ipse pro hæreticis habebat, cõsuetudinem, nullum crimen esse iudicas (cur enim dubitem ego, huius te esse sententiæ, qui paulò ante probaueris opinionum libertatem, & religionis arbitrium nulli esse denegandum, nec in Christi, Ecclesiæ, recteque sentientium Patrum, obsequium, populi Christiani intellectum captiuãdum esse, vt Pauli docet institutum?) si, inquam, hæreticorum commercia non esse fugienda probas, aperte contradicis Scripturæ, quæ subuersos, proprioque iudicio condemnatos homines, idest hæreticos, omnino vitandos esse monuit, apertè te opponis sanctis Patribus tam Græcis, quàm Latinis, qui in illius loci commentarijs, atque alibi frequenter [1] id ipsum monent, hortantur, præcipiunt. Et quidem non ab re sit, si Clementẽ Romanum Pontificem nunc audias: *Post multos dies* (ait) *visitauimus fratres & confirmauimus eos verbo veritatis obtestantes vt ab eis fugerent, qui nomine Christi & Moysis Christum & Moysem oppugnarent, & pelle ouium lupum tegerent. Hi enim sunt pseudochristi, pseudoapostoli, & pseudoprophetæ, seductores, & corruptores, partes vulpium et vinearum, quæ vites depressas, & in terram sparsas habent, deuastatores, quorum opera et studio multorum charitas refrigescit.* Hactenus Clemens, qui successor Petri, Apostolorum discipulus, ab ipsis edoctus, præceptum hoc enunciauit & tradidit Ecclesiæ. His adde antiquissima Conciliorum decreta (hæc enim Episcopum, quem simplicis populi & exemplum & Doctorem esse oportet, ignorasse turpissimum fuit) tot dico sacros Conciliorum canones, qui hæreticorum sodalitates euitandas esse præcipiunt [2], qui nec eos, qui in sacerdotali dignitate enumerantur, nec laicos cum his vnà discumbere, in morbis accersere, medicinas accipere [3], adde etiam nec simul orare

1 Vide Cypria. lib. 3. ad Quiri. cap. 78.

2 Carth. 4. can. 70. 71. 72. Meliui. can. 23. Anast. Pont. epis. 1. c. 3.

3 cap. nemo 28. q. 1.

1 Can. 33. & Cartha. in cap. 35. 24. q. 3.

orare (vt antiquiſsimo Laodiceno [1] decreto continetur) permittunt.

Quod ſi antiqua Patrum exempla quæris, occurrent quidem plurima & inſignia. Obuium illud eſt, quod Euſebius narrat de Polycarpo Smyrnenſi, qui, auctore Irenæo, cum multis, qui Dominum noſtrum viderunt, conuerſatus fuit, & Smyrnæ à Ioãne Euãgeliſta præpoſitus, is ſcilicet vir tantus Marcioni hæretico, ſibi occurrẽti dicentiquè ac roganti (referam enim hiſtoriæ verba) *Noſce nos, amabo*, ſolum reſpondiſſe fertur, *Noui equidem primogenitũ Satanæ*; cui quidem narrationi hæc addit idem Euſebius [2], *Talem tum Apoſtoli, tum eorum diſcipuli adhibuerunt cautionem, vt ne ſermonem quidem cum aliquo illorum, qui veritatem fallaciter ſuis commentis adulterare nitebantur, aliquando conferre vellent, ſicut Paulus admonet.* Sed & idem auctor ex eodem Polycarpo tradit, Ioannem Domini diſcipulum cum Epheſi ad balnea ſe conferret, intuſquè videret Cerinthum hæreticum, ſe mox illotum è balneo proripuiſſe; & eos, qui vnà erant hoc modo eſſe hortatũ: *Fugiamus ocyus, ne balneũ, in quo eſt Cerinthus veritatis aduerſarius, extemplo corruat.* Quæ Euſebij verba trãſcripſit Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularũ, & Nicephorus lib. 3. c. 30. Denique celebre eſt, quod de Antonio Anachoreta ſcripſerunt Athanaſius, & Euagrius presbyter in eius vita: ille enim moriẽs ſic diſcipulos ſuos inſtruebat: *Schiſmaticorum & hæreticorum venena vitate, meumquè circa eos odium ſectamini. Scitis ipſi quod nullus mihi nec pacificus quidem ſermo cum eis aliquando fuerit, propter prauam eorum voluntatem, & pertinax contra Chriſtum, bellum.* Quapropter monendus es, Vuaramunde, Gelaſii [3] Pontificis verbis, his videlicet, qui Chriſto ac Catholicæ Romanæ Eccleſiæ nomen dederunt, non licere cum hominibus communionis alienæ vllam inire ſocietatem.

2 Hiſt. Eccl. lib. 4. c. 13.

3 In cõmonit. ad Fauſt. 24. q. 3. cap. 36.

Quæ

Quæ ſit vera Dei ſapientia, & lux Euangelica: Coniugium Epiſcopis omni iure prohibitum.
Cap. XII.



ECVNDVM crimen (ait Vuaramundus) *eſt defectio ab Eccleſia Romana, quam dicit Catholicam. Atqui hæc non hæreſis, ſed via veritatis eſt, cum ab Eccleſia Romana Apoſtatica diſcedens, ſe in ſinum voluit illius Germanicæ & Catholicæ recipere, quam vt Chriſtianus amplecti debuit, & ſubditis vt Princeps permittere. Ipſa Dei ſapientia iudicio Pontificum dicitur hæreſis, & illis veritatis Euangelicæ lux non ſecus, quàm Iudæis olim & Græcis ludibrio & offenſioni eſt.* Deliras vtique, Leonharte, & te proiectiſsima audacia & impudentia tua ſæpiſsime præcipitem agit. Sapientiam enim Dei, & veritatis Euangelicæ lucem, perditiſsimorum hominum commenta vocas, popularium ſcurrarum mendacia, vaniſsima ſomnia, futiliſsimas præſtigias: Oſtende, quæſo, in ſpecioſo iſto Euangelio veſtro ſapientiam Dei contineri. Explica nobis diuinam iſtam, quam iactas, Euãgelicę veritatis lucem. Videamus, an ne Lutherus & Caluinus, cæterique heroes veſtri, Dei ſapientiæ veri Doctores, & veritatis Euãgelicæ glorioſi vindices extiterint. Spiritum quidem cæleſtis ſapientiæ, & puram diuinæ veritatis doctrinã à maleuola mente longiſsimè abeſſe, expreſſo Dei verbo docemur. Nam fides, pietas, charitas, manſuetudo, caſtitas, concordia, moderatio, obedientia, pax, diuini amoris magnitudo, firmiſsima ſunt ad diuinam hanc diſciplinam comparandam præſidia. At ſi iſti ſacrilegium, impietatem, odium, ſæuitiam, horrendæ libidinis licentiam, bel-

lorum incendia,incredibilem arrogantiam, legitimi imperij contẽptum,popularem diſcordiam,rerum denique ſacrarum(quantum in ipſis fuit)exitium,in orbem inferre curarũt, cur tu ſordidiſsimum hunc gregem, abiectiſsimaſquè fæces iſtas orthodoxam Eccleſiam appellabis? Cur caliginoſam, altiſsimamquè noctem, quam cęci veſpertiliones iſti in orbem inuexere, lucem Euangelij prædicabis? Quid, obſecro,commune habent infauſtæ noctuæ cum Chriſto Ieſu vera mundi luce? cum lucerna Euangelij? cum ſplendidiſsimo ſpiritualis mundi Sole? Apoſtaticam inſuper Eccleſiam illam ne tu execrande cauillator, dices, quam ſacroſancta Scripturæ teſtimonia, quam ſancti Patres, quam Conciliorum decreta, quam vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus Orthodoxam,Catholicam,Apoſtolicam prædicant? *Cum igitur*

1 cap.17. (beatus Aug. [1] ait lib.de vtilitate credẽdi ad Honoratũ) *tantum auxilium Dei,tantum profectum, fructumquè videamus, dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio,quæ vſque ad cõfeßionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceßiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primitias dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Verbum quidem crucis Chriſti pereuntibus ſtultitia eſt, vt ait Apoſtolus; illius pœnæ,tormenta, & cruciatus,Iudæis ſcandalum, & offenſio fuere, Gentibus autem deriſio. Cum enim illi ſigna peterent, mortuos ad vitam reduci, dæmones eijci, miraculoſaque facta edi, curioſitatis cauſa, & calumniandi potius quàm veritatis indagandæ ſtudio, clamarent, cum ſapientiam ſæculi, cum mundanam potentiam deſiderarent in Apoſtolis,Chriſtus illis in crucem actus & mortuus prędicabatur: illa ergo quærentes, non ſolum non accipiebant, quæ petebant, ſed etiam contraria, & repugnantia omnino audiebant. Non ne igitur iſthæc omnia vani ſedu-

ctores

ctores de vobis potius, quàm de nobis narrari posse constat? Petitis enim in Christo non supplicia, non labores, non pœnas, quibus abundauit, non innocentiam, nō charitatem, non patientiam, quorum omnium clarissimum fuit exemplar, sed molles voluptates, prodigiosas libidines, iniurias, rapinas, omnem deniquè effrenatæ vitæ licentiam. Est igitur his consequens, vt Christus sit vobis scādalum, lapis offensionis, & petra ruinæ. Dicitis enim (vt notat Hieronymus [1]) Durus est iste sermo, quis poterit audire eum? Hoc si negetis id euidenter probabimus ex his, quæ in Vuaramundo sequuntur. Ait enim: 1 In Esa. cap. 8.

Tertium crimen est coniugium, idquè hæretico ministro Caluiniano conciliatum, conuiuia, choreæ; coniugium honorabile & imperatum à Deo, quod magis damnat, & acie infesta persequitur, quam adulteria, turpissimaquè Romæ scelera, impie facit: quod homini resipiscenti obijcit, inique facit. Videtis ne iam quantum commendet cōiugium in Sacerdote, ac Episcopo nouus iste euangelici diei lucifer? Nec enim solum cum cælesti ordinis ministerio, sacraquè sacerdotali functione conuenire posse id iudicat: verum etiam & post contractas primas illas inter Gebhardum, & Ecclesiam Coloniensem diuinas nuptias, post commissam mutuæ fidelitatis stipulationem, post adimpletam veri coniugij perfectionem, quæ videlicet constat potissimùm fide, sacramento, & prole, his enim noui Episcopi consecratio continetur, cum fidem Catholicam profitetur, cum sacrosanctæ vnctionis Sacramentum recipit, cum populi sui regenerationem per fidem, & doctrinam, eiusdemquè sanctæ prolis spiritualem œconomiam suscipit: Gebhardum (inquam) hoc iam sancto fœdere deuinctum ad nouas pellices destinat, & sponsam immaculatam, non habentem rugam, nec maculam repudiare probat. At nec hoc contentus, vt immanem libidinem suam impudentius patefaciat, non solum hono-

rabile in Episcopo coniugium vocat, sed (quod abominor) à Deo imperatū, spurcissimum os prædicat. Id iste à duobus Martinis Luthero nempe, & Buccero portentosę libidinis monstris venenum hausit: quod licet illi sacræ Scripturæ testimonijs temerariè abutentes propinare simplici populo conati sint, à Catholicis [1] tamen ita sunt eorum fallaciæ iam detectæ, vt nulla relicta sit posteris periclitandi ratio. Et verò inaudita istorum impudentia est, incredibilis horrendaquè audacia, qui obscœnissimæ libidini tàm indulgent, vt quod nulla vnquam temporis ratio, nulla consuetudo, nulla traditio permisit, id ipsi probent, id prædicent, id necessarium dicant.

Antiquum Ecclesiæ decretum maritos ad sacros ordines ecclesiasticos admitti non vetuit: post sacrum autem Presbyteratus ordinem iuxta Pauli [2] consilium, & Apostolorū exemplum tanquam non habentes vxores, & tantum curam earum gerentes vt sororum, non vt vxorum esse voluit. Hoc in Orientali Ecclesia laxius admissum est, & consuetudo cum proprijs vxoribus sacris hominibus cōcessa (si de Paphnutio narrationi [3], & illi, qui vulgò sextæ Synodo Canon [4] adscribitur fidem commodamus) aut certè propter inolitum illius Ecclesiæ morem, aut propter Prælatorum conniuentiam, aut (quod verius puto) propter temporum in deterius lapsorum cōditionem. At nusquam post sacrosanctam initiationem Ecclesiæ antiqua decreta, vel ipsi Græcorum corruptissimi mores connubia indulsere, vt apertè constat ex Apostolorum Canone 25. quem citat Epiphanius lib. 2. contra hæres. tom. 1. & apertius constituit, & constitutum fuisse semper asseuerat Calixtus Pontifex. cap. penult. 27. distin. apud Gratianum. Approbarunt hoc ipsum iura ciuilia, vt habetur in auth. de nuptijs. §. sed et si quis. & in auth. quomodo opor. Episcop. §. nec autem. atque alibi

1 Hosius Cardin. de sacra. mat. Ayal. par. 3 de cœlibatu. Turri. lib. 2. de dogm. caract. Copus dialogo 1. cap. 22. & 23. citati à Couarr. in epit. lib. 4. 2. par. cap. 6. §. 3.

2 1. ad Cor. 7.

3 c. Nicœna Synodus 31. distin.

4 13. c. quoniā in Romana 31. distinct.

alibi frequenter. Isti igitur neglectis sacrosanctis Apostolicis regulis, neglectis Ecclesiasticis cõstitutionibus, neglectis sanctionibus Principum etiam post ordinem susceptum, in sacrorum ordinum contemptum, sine vllo prorsus exemplo, aut probabili ratione impudenter nuptias probant, & (quod magis dolẽdum est) in Episcopo non solũ iustas, sed & necessarias esse prædicant. At qui Paphnutius ille ipse, cuius memini, & cuius manibus protegi & defendi vos posse existimatis, si in Gebhardi causa consuleretur, multo quidem aliter responderet, vt duram enim cœlibatus legem in clericis refutauit, sed tamen auctor fuit, vt solis iniungeretur Episcopis, vt docent Zonaras & Cedrenus: ὃς τῇ συνόδου (Cedrenus ait) κανονίσαι θελούσης ὥστε κληρικὸν μὴ συνέρχεσθαι γυναικὶ πρὸς γάμον ὡς βαρὺν τὸν λόγον ἀνέστρεψε καὶ μόνοις ἐπισκόποις ἐτύπωσε τοῦτο διαφυλάττεσθαι. *Is, Synodi constituere volentis, ne clericus mulieri matrimonio iungeretur, vt duram sententiam refutauit, & à solis Episcopis hoc obseruari debere declarauit.* Canon quoque ille, qui præfatum alterum præcedit, à quo incontinentia Græcorum pigmentum accepit, etsi in permittendis nuptijs, & earum vsu indulgendo Diaconis, Hypodiaconis, & Presbyteris tam fuerit prodigus, Episcopis tamen post ordinationem susceptam id omnino prohibet, aut vt ex verbis facile colligitur, iam antea prohibitum vetat. Item & decreta illa, quæ interdicunt Clericis introductam, aut (vt Rufinus interpretatur) extraneam domi habere mulierem, nisi aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ omnem suspicionem effugiũt (quibus verbis vxor etiam si suspicione non careat, comprehenditur, quemadmodum verior docet interpretatio) vt Concilio Nicæno [1] cauetur Can. 3. quem refert Gratianus distin. 32. & Iuo in Decre. lib. 3. cap. 6. Turonen. Conc. 2. Can. 12. Arelat. 2. Can. 2. Aquisgra. cap. 30. & in constitutione Honorij, & Theodosij AA. quæ habetur

1 Idem refert Euseb. Eccle. hist. lib. 7. c. 30.

habetur tit. de Episc. & cler. cap. 19. & in Nouella Iusti. 123. §. 1. & §. presbyteris. Hanc (inquam) de vitando suspecto cõtubernio (vt scripsit Hieronymus) sanctionem ita strictim in Episcopo iura ciuilia interpretata sunt, vt omnem prorsus mulierem ab Episcopali domo distrahi, & arceri præcipiant, quemadmodum docent Iustiniani prædictæ Nouellæ constitutiones 6. & 123. referturquè in Græca Synopsi Imperialium constitutionum lib. 2. cap. 41. titu. de sacerdotibus, & cler. Notauit quoque Theodorus Balsomon (etsi Græcus) ad Canonem 3. Cõcilij Nicæni.

Denique cum eæ, quæ ante sacerdotium ductæ sunt, post maritorum promotionem, aut ali domi, si suspectæ non sint, aut extra religionem continentiam vouere cõpellantur; in Episcopo tamen peculiariter constitutum videmus, vt illius vxor post viri ordinationem, & consecrationem cogatur monasterio includi, quod etiam ab Episcopatu longè situm sit, vt habetur Canone Trullano 48. his verbis: *Vxor eius, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, & consecratus, Monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione extructum*. Quo loco recte notauit Balsomon, non solum includendam esse in monasterio, sed & tondendam item, id quod Monachis solum contingebat, scilicet vt omnis spes reditus ad sæculum, vel consuetudinis cum viro iam Episcopo tolleretur. *Hoc enim* (ait ille) *absurdum esset, & contra diuinorum Canonum voluntatem:* quod tamen postea expresis verbis decreuit Isaacus Angelus, Orientis, & Græcorum Imperator, asistentibus ei Episcopis Cæsareæ, Ephesi, Cyzici, & alijs, vt habetur lib. 1. Iuris Orientalis constitutione 3. His adde, quod nunc obseruari videmus apud eosdem Græcos tàm profusè, vt diximus in elargiendis nuptijs liberales. Ex Hieromonachis enim solum, in quibus casti-

stita-

ſtitatis, & cōtinētiæ diſciplina poſt ordinationē ſacram ſuſceptam religioſiùs viget, Epiſcopos creari conſtat: quod tamen ad antiquiorem eorum cōſuetudinem pertinere ex Chryſoſtomo [1] docemur: qui teſtis eſt vel ſuo tempore obtentum moribus fuiſſe, vt mariti in Epiſcopos nequaquam eligerentur. Quod ſi Hieronymo auctore, licet prophana ſacris addere, Hierophantæ Athenienſium Sacerdotes ad Pontificiam dignitatem euecti caſtius ſe multo, quàm antea, ſeruabāt, vt innumera barbara exempla omittamus, quæ iſtorum impudentiam, & obſcœnitatem planè arguunt. Quid igitur turpius? quid ſceleſtius? quid magis nefarium? quid impium magis? quam quod perfidi impoſtores iſti docent, qui non ſolum (vt repetam) iuſtas in Epiſcopo nuptias, ſed neceſſarias, ſed à Deo imperatas eſſe prædicant? quaſi ſcilicet commodè Epiſcopi munus exequi non poſsit is, qui vxore careat. Atqui, Vuaramunde, Epiſcopi officium eſt populo ſuo præeſſe, ſacris altaribus adeſſe, pro ſe, & pro ouibus ſibi commiſsis Dominum orare, ſubſtantiam illis cum opus ſit, elargiri, animam & ſanguinem, cum occaſio poſtulauerit, pro eis profundere: Ad hæc verò ſanctè obeunda an non matrimonio contracto, diſtrahi illis omnibus atque impediri neceſſum eſt, quæ præclarè à S. Baſilio [2] recenſentur? *Coniugio* (inquit) *mancipatum curarum agmen excipit: ſi liberis careat, liberorum concupiſcentia, ſi liberos accipiat, de educandis ſolicitudo, vxoris cuſtodia, domus cura, ſeruorum atque familiæ gubernatio, commerciorum detrimenta, contentio cum vicinis, lites in foro, iudicia, conflictus, negociationes, pericula, agriculturæ labores, omnis dies proprio ſuo acceſſu tenebroſitatem animæ adfert, & noctes diurnas curas excipientes in iiſdem imaginibus mentem fallunt.* Hactenus Baſilius. Hæc autem, & maiora proculdubio incommoda hi noui coniugati pſeudopresbyteri experiuntur. Debuiſſent præterea aduertere onera prædicta matrimonij, vel cum gentili ſacerdotio nequaquam commodè ſuſtineri poſſe, vt Hermogenianus,

[1] Homil. 2. in Iob.

[2] Epiſto. 1. ad Grego. Theol.

nus,& Caius consulti responderunt: *Sæpe euenit* (aiunt [1]) *vt propter sacerdotium, vel sterilitatem, vel propter senectutem, aut valetudinem, aut militiam, satis commode retineri matrimonium non poßit.* Probãt nihilominus isti & Sacerdotum & Episcoporũ matrimonia, imò non matrimonia probant, hæc enim sanctis decretis [2] prohibita esse, sacrorumquè hominum continentiam, & castimoniam eisdem impensè commendari, & præcipi, probe norunt, sed approbant scortationes, propudia, prostibula. Vt verò rudem, & simplicem populum in fraudem pelliciant, & aucupentur, honorabile coniugium vocant, hoc nimirum prætexunt nomine culpam: & Nouatum hæreticum, qui sectarios olim suos, puros vocitabat, nunc ipsi vsurpato matrimonij specioso nomine, imitantur: Gnosticorum similem sacrilegam impudentiam, qui sua stupra, & adulteria spirituales esse nuptias, atque ad similitudinem connubiorum, quæ in cælis contrahuntur, fieri prædicabãt, & Irenæus [3] docet, & Eusebius [4] refert. Hunc denique Schismaticorum esse antiquissimum morem, vt vilium scortorum consuetudine vtantur, tùm vt propriæ libidini inseruiant, tum etiam vt illorum ministerio non minus quàm virorum, vtrumque sexum erroribus implicent, testis est Hieronymus, qui harum muliercularum catalogum contexuit: quem quidem hic in Vuaramundi gratiam libet subijcere, *Simon Magus* (ait) *hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio, Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fæminarum: Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet: Apelles* [5] *Philomenẽ comitem suarum habuit doctrinarum, Montanus* [6] *immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscã, & Maximillam nobiles & opulentas fæminas primum auro corrupit, deinde hæresi polluit: Arrius vt orbem deciperet, sororẽ Principis prius decepit, Donatus per Africam, vt infelices quosque fætentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est: In Hispania Agape Elpidium mulier virum cæcum cæca duxit in foueam, successorẽquè sui Priscillianum*

1 l. vitricus. l. vel propter de dona. inter virum, & vxorem.

2 Quæ cumulat Iouerius in sanct. Eccle. in Velitat. Can. 6. Synodi, & fuse Sotreallus in sũma Pontifi. & Syno. Const. verbo continentia.

3 Lib. 1. capi. 18. aduersus hæres.

4 Lib. 4 histor. c. 10.

5 Cuius impudicitiæ meminit Tertul.

6 Cuius lenocinia descripsit Apollon. apud Euseb. lib. 5. capi. 18.

num habuit, cui iuncta Galla alterius, & vicinæ hæreſeos reliquit hæredem. Hactenus Hieronymus: Sed & Carpocratianorum horrendos concubitus Clemens [1] Alexandrinus memoriæ prodidit: Florianorum, & Auguſtinus, & ante ipſum Philaſtrius literis mandarunt; adeo verum eſt, quod Hieronymus [2] ſcripſit: Difficile eſſe hæreticum inuenire, qui diligat caſtitatem.

1 Lib. 3. Strômat.

2 O ſee.c.9.

Quartum Gebhardi crimen, quod inanibus excuſationibus adumbras, eſt Bonnæ, & totius Colonienſis Diœceſis occupatio, tyrannica adminiſtratio, ſcripturarum, vaſorumquè Eccleſiaſticorum expilatio, vniuerſæ denique ditionis bellicis tumultibus, & periculis implicatio, & ſpiritualium ac temporalium rerum omnium direptio. Quæ quidem cum veriſſima ſint omnia, nec aliqua iuſta ratione defendi poſsint, publico tamen Gebhardi ſcripto diluta iam eſſe, & confutata dicis: at in hoc ſic certè vanus es, vt in alijs. Nec enim tantorum ſcelerum, & flagitiorum ſpecies, quæ quidem in media hominum luce patrata ſunt, fucari poteſt, aut eorum iuſta ratio reddi: niſi verò iuſtam rationem dicas, quòd hæreticum hominem denſiſsima ignorantiæ caligine obcæcatum, in reprobum ſenſum traditum, omnipotentis Dei præſidio deſtitutum, mirandum non ſit ſi in hæc, & his deteriora indies ruat: apposite enim Irenæus [3] martyr Hæreſim comparat Hydræ multiplicis capitis feræ, cum huic vno inciſo capite, plura renaſcantur, illi ex vno errore mille alij pullulent, & ſuccreſcant.

3 Lib. 1. aduerſ. hæreſ. ca. 34.

❦

Romanus Pontifex ius habet in Germaniæ Principes Imperij Electores. Cap. XIII.



VPEREST vt munitiſsimam pręſidij tui arcem expugnemus. Etenim vt Apoſtatam Truchſium à iuſto Gregorij xiij. Pontificis ſummi ſupplicio vindices, illud tanquam ſolidiſsimum firmamentum locas, ſacri Romani Imperij Electorem à nulla alia extera iuriſdictione & poteſtate, niſi à ſacro Electorum Collegio conueniri poſſe, ac proinde Pontificis tribunal illegitimum eſſe: ais enim, *Iudiciũ Pontificis nunquam iuſtũ fuit, ac nec hodie quidem eſt competens iudicandis ſacri Imperij Electoribus, aut alijs Germaniæ membris: Electorem, qui excludendus fuerit, cæteri ſui Coelectores à ſuo excludunt conſortio cognitione legitima.* Hoc idem mille locis inculcas. Pudebit autem me (iterum atque iterum repeto) in tritiſſimo, & dilucidiſsimo argumẽto ſemper tecũ verſari. Verũ cum hæc præcipua ſit erroris, & impudentiæ tuæ anſa, demonſtrandum erit iſto capite, Electores Imperij Romani, etſi hac dignitate (quæ quidem in Chriſtiano orbe maxima eſt) præfulgeant: ab Romano tamen Pontifice eiuſdem huius dignitatis auctore minime exemptos eſſe. Iſtud vt perficiamus, de ipſis Romanis Imperatoribus agere incipiemus.

Conſtat igitur (vt rem à gemino, quod aiunt, ouo aggrediamur) vno ex tribus titulis Imperatoriam dignitatem, quæ apud Germanos nunc eſt, recte conſtitutam videri poſſe; aut videlicet diuino iure, aut naturali, aut humano. Hiſce namque tantùm modis iuſta decernitur & ſtabilitur Principatus cuiuſque ratio. De ſingulis

nunc

nunc dicam. Et primùm diuino iure (vt nunc quidem de diuino iure agimus) Imperium non solum Germanicum, sed vetus illud primæuum Romanorum, conditum fuisse, quis sanus probet? quisve diuinis testimonijs, sacris sanctionibus, antiquæ Ecclesiæ traditione, aut sanctorum Patrum monumentis istud conuincat? Deum, ac Dei ministrum Samuelem ægerrimè iam olim tulisse legimus Israelitarum leuitatem, qui vana Gentiũ æmulatione Reges importunè postularunt, & demum adepti sunt [1]: *Vos hodie abiecistis Dominum Deum vestrum*, aiebat Samuel: & illi Dominus; *Non te abiecerunt, sed me.* Hos igitur tantum nominatim constituebat Dominus [2], illi enim creabantur, quos diuini vates cælestibus oraculis præmoniti designabant: præter hos verò nullius vnquã in orbe Imperium præcepto, & institutione diuina peculiariter constitutum scimus, nullum in Principem & Rectorem cæterorum hominum ordinatum: nullam peculiaris gubernationis formam institutam agnoscimus. Nec enim magis hanc, quàm illam probauit Dominus, cum ante Hebræos quos nominaui, Reges, Aristocraticum quoddam (sic enim pluribus placet) gubernationis genus ex eiusdem Domini præcepto sub Iudicibus viguerit; Regno verò constituto (quod quidem innumeris cædibus, partum, seruatum, ab illo ad istum translatum & occupatum est) non vnicum tantum, sed duo fuerunt, Israeliticum videlicet, & Iudaicum. Et vt hoc obiter adnotemus, appareatq; Israelitici huius Regni infelix conditio, eos omnes, qui decem tribubus dominati sunt, reprobatos à Deo fuisse, notauit [3] Augustinus: ex his autem qui in Iuda regnarunt (qui tres & viginti post Saulem, Dauidem, & Salomonem recensentur) vix quatuor aut quinque æternam salutem videntur consequuti. Denique post Christi aduentum nationes plurimas diuersa principatus forma gubernari,

1 1. Reg. 2

2 Reg. 1. c. 1. Deut. c. 17. Ioseph. lib. 4.

3 Lib. de Ciuita. 17. c. 23.

nec hoc diuinis præceptis aduersari, compertum est. Hoc autem licet ex his, quæ fusè ab alijs aliàs dicta sunt, manifestum appareat, ea tamen potissimùm ratione, rectè demonstrari arbitror, si Ecclesiasticam, & Sæcularem potestatem quis conferat. In hoc enim vnam ab altera differre cōstat, quod illius institutio à Deo proximè sit; huius autem ab humana electione, & auctoritate procedat. Cui enim vnquam hominum nisi Petro (vt ex Bernardo superius citauimus) dixit Dominus, *Pasce oues meas?* Dedit cæteris Apostolis ligandi, soluendiquè potestatem Christus, sed potestati Petri, vt capitis subiectam, & subordinatam: quod caput cæteris omnibus Ecclesiæ membris vnum dedit, spiritualemquè hanc monarchiam nominatim instituit. Hinc factum est, vt cum ab vna Imperatoria potestate plurimi Principes reperiantur liberi, & exempti, aut longinqua temporis præscriptione tuti, aut cōsensu & pacto cum ipso Cæsare inito, aut alijs priuilegijs, & causis, quas notat Theologorum, & Iureconsultorum [1] schola. Illius tamen, cuius Imperium Roma est (libet enim sancti Concilij Magni primi verba citare) quantam Petrus habuit auctoritatem habentis, dominatum & principatum nemo recusare potest.

1 Vi de quos citat Couuar. ī Reg. peccatum. 2. par. §. 9. nu. 9.

Et verò cum assertionem hanc infinitis possemus Patrum testimonijs comprobare, sufficiat veritatis studiosis capita indicare ex elegantissimis epistolis Leonis primi ad Viennensis Prouinciæ episcopos; Nicolai ad Michaelem; Gelasij ad Anastasium Imperatores, Quibus itē & Symmachi Apologeticus nō parum adstipulatur: his enim locis, validissimis argumentis & certissimis testimonijs Monarchiam Ecclesiasticā à Deo, Temporalem ab humana voluntate immediate cōstitui docemur. Accedat igitur vnicum tantum (ne rem actam agamus) sed illustre quidem Diui Basilij [2] testimonium, qui in Cōstitutio-

2. cap. 23.

ſtitutionibus Monaſticis hac vna ratione Epiſcopos reuerendos eſſe probat, ſpirituali nempè & ſæculari poteſtate commiſſis: *Si illi (ait) qui mundo huic præſunt, & ex lege humana illam imperandi poteſtatem habuerũt, his diuina lex pietatis cultores ſubiectos eſſe voluit, quàm magna tandem ei à pietatis cultore præſtanda obedientia eſt, qui à Deo conſtitutus præſes ſit, & imperandi poteſtatem à legibus eius acceperit?* Eſt igitur poteſtas Pontificia non ab homine, neq. per hominẽ, (vt ait Apoſtolus,) ſed ab ipſo Deo in vno Petro & Petri ſucceſſoribus conſtituta: quod tamen de mundana poteſtate nemo probabiliter dixerit. [1]

Scio equidem plurima in contrariam partem vulgò adduci; vt eſt illud Apoſtoli, vbi omnem poteſtatẽ à Deo eſſe ſcripſit, quod etiam ex ore Domini pronunciauerat Salomon, dum ait: *Per me reges regnãt, & legum cõditores iuſta decernunt.* Hæc tamen & ſi quæ alia pro hac parte vrgere videntur ſacra teſtimonia, eo ſunt ſenſu accipienda, qui ab eruditiſsimis viris iã olim explicatus eſt. Neque enim negari poteſt, poteſtatum ordinationem generatim, hoc eſt ordinis & gradus diſcrimina, ad optimam Reip. Chriſtianæ conſtitutionem neceſſaria, à Deo eſſe conſtituta: immo vero hi, qui ſe regere non ſatis prouide norunt, ad Magiſtratus ſuperiores creandos, quibus ſubditi ſint, & humano & diuino iure tenentur, nõ tamen inde efficies, vnius Imperium, aut pecularis certæ gubernationis ſpeciem à Deo immediate ordinari. Quod quidẽ etſi à multis expoſitum ſit, à nemine prorſus præclarius quàm ab Auguſtino: [2] Dominatum enim & Imperium à lege diuina deriuari, atque illo præcepto contineri, quo proximi dilectionem præcepit Dominus, eleganter probat. Verum non iſtud quidem, de quo agimus, nec aliud præterea peculiare quodpiam; ſed illud tantum, ad quod cõſtituendum propter eiuſdem proximi vtilitatem & commodum obſtringimur, id eſt, vt ea, quibus illum indigere

1. Vide S. Thom. 2, 2.q.39.art 4.& in 4.d. 17.q.3. ad. 3.& d. 20. q.4.ar.3 d. 19.q.1.ar. 1.& 3, & in 2. ſent. d. vlt. q. vlt. & lib.4 cõtra gẽtes. c.76. Gaie. in opuſc. de prim. Rõ. Eccl. Turrc. libr.2. de Eccl. cap. 38. 39, 40, & 54.

2. lib. 19. de ciuit. cap. 14.15.

comperimus, liberaliter illi impartiamur. Hinc enim fiet vt imbecillibus & ratione minus vtentibus consulamus, & hęc sit Imperij à Deo immediate constituti ratio: illis enim cõsulimus ex interpretatione Augustini, quos regimus & gubernamus: *Imperant* (ait) *qui consulunt sicut vir vxori, parentes filijs, domini seruis. Obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filij parentibus, serui dominis. Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit.* & inferius de æquo iure dominandi agens, *Veri patresfamilias desiderant, atque optant venire ad cœlestem domum, vbi necessarium non erit officium consulendi.* Beatus quoque Chrysostomus dilucide vno verbo rem totam explicuit: *Est enim* (inquit) *prima constitutionis huius iustitia, quæ fidelibus cogitationibus ac mentibus satis decora est & honesta, nimirum quod à Deo ordinata sint ista, non enim est potestas nisi à Deo. Quid dicis? Omnis ergo Princeps à Deo constitutus est? istud quidem non dico. Nec enim de quouis principum sermo nunc mihi est, sed de ipsa re.* & infra: *Ne cuncta temere ferantur, & populi instar fluctuum huc atque illuc circumagantur, diuinæ sapientiæ opus esse dico.* Errant igitur toto cælo illi omnes qui vnius imperiũ aut παμβασιλέαν, vt Arist. verbo vtamur, diuino iure constitutam esse prædicant, atque veluti cælesti illustratione moniti Monarchiam temporalem hominibus datam prædicant: nec enim iusta ratione mouẽtur, nec vero testimonio probãt, sed leuissime capita scripturæ sacræ, & scriptorum delibantes, sentẽtiæ huius auctores tantum dici gaudent.

Reliquum est, vt videamus an iure naturæ constitutũ sit Germanicum Imperium: quod tamen ęque absurdum erit concedere. Porro extra omnem philosophiæ controuersiam ponitur, cunctis animantibus esse ius quoddam à natura inditum, quo ad rectam cõstitutionem vniuersi in suo vnumquodque genere aut specie probat ordinẽ, gradus distinctionem, atque adeo principatum & potestatem. Si enim non subessent alia, alia verò præessent,

fluita-

fluitarẽt omnia, cõfusa quadã & inhonesta perturbatione. Quamobrẽ omnis ordo, omnis discriminis cõstitutio & ratio à natura est. Naturale ius voco, quod iuris nostri Interpretes, Gẽtium primæuũ dicunt: Epicurus primus omnium προλῆψιν nominauit, Cicero informationes dixit, Diuus [1] Augustinus notiones vocauit, Græce non male ex eiusdem oratoris sententia οἰκεῖον appellabimus. Non potest enim animal vllum nõ appetere id, quod accommodatum ad naturam appareat. Porro & huius sententiæ auctor est Aristoteles [2] qui principatum natura insitum in omnibus his inesse demonstrat, quæ quasi ex multis membris vnum corpus, vel ex partibus vnum totum efficiunt. Sic enim mentem in homine arcem tenere docet, inter ipsos homines alios natura seruos, alios vero dominos nasci: In brutis eandem naturæ vim manifestari probat. Illorum enim pleraque duces sequuntur, Reges habent, & veluti politicum ciuitatis statum constituunt, quemadmodum de pluribus narrant Historici, quorum potissimum exemplo Hieronymus [3] vsus est ad Rusticũ Monachum scribẽs. Ambros. lib. 5. Hexamer. cap. 15. Hegesippus [4], & Iosephus [5] eorundem exemplo Hebræos ad seruitutem Romanis exhibendam adhortantur.

1 lib. 12. de ciuit. cap. 4.

2 lib. 1. Polit. cap. 1. & 3.

3 capit. in apibus 7. q. 1.

4 lib. 5. cap. 18.

5 Gorionis, lib. 1. histo. Eccl. cap. 15.

Verum hoc naturale ius, informe quidem, & absque modo existimandum est, & consequenter concedendum ciuili & Gentium iure certam formam accepisse. Nam quemadmodũ de Dei notione, quæ eadem anticipatione naturæ humanis animis insculpta est, scripsit Cicero [6] (etsi perperam & vt ethnicum hominem oportebat) omnibus innatum esse, Deos esses, quales autem sint esse varium: maris quoque & fœminæ coniunctionem (quam inter naturæ iura numeramus,) Ciuili iure in præscriptam à legibus formã redactam esse scimus; ita certe principatus constitutio iuregentium efformata atque in certam

6 lib. 2. de nat. Deorum.

tam formam deducta est. Ex his enim fontibus non tantũ Imperium, de quo agimus, Regna, Respublicæ, sed & Tyrannides etiã, illæ denique principatus species omnes, quibus mundanam administrationem diuisit Plato lib. 2. de legibus; & Arist. 3. Politicorum ortum, & originẽ habuere: quæ scilicet tametsi à natura ortæ sint, iure tamen humano constitutæ, ac veluti coalitæ nõ iam ad φύσιν, sed ad προαίρεσιν proprius spectare dicentur. Immo vero (vt hoc obiter adnotemus) dominantiũ libidine ita aliquando in vitiũ & excessum deflexit humana potestas, vt potius contra naturam esse, quàm a natura existimari debuerit, illorum videlicet abusu, qui (vt pulchre aiebat ille alter) ex alienis laboribus, detrimentis, ac cruciatibus voluptates aucupari, in eisque immergi ac volutari solent: & quorum dominatio non tam hominum consensu, quàm impietate, cædibus, parricidijs, incestis, monstruosis sceleribus condita & cõsecrata est. Quorum quidem exemplis cum plena sit Historia non tantum Romana, sed & Græca, & Barbara, sufficiat nunc Regis illius mentionem fecisse, qui in diuinis litteris primus omnium formã Regni instituisse dicitur, [1] is enim Tyrãnidis affectator, hominũ oppressor, idololatriæ auctor appellatur, a quo tamen Chaldęorũ monarchia incepit, vt ait Orosius, quæ omnium prima fuit, vt scripsit Xenophon. Ipsummet etiam, de quo agimus, Romanorum Imperium quàm fœdis initijs inceperit, quam etiam malis artibus persæpe acquisitum fuerit, quis ignorat? Huc spectant ciuilis principatus effecta illa omnia, quibus ex opposito aduersatur natura, misera videlicet seruorum conditio, quos impunè aliquando occidere licuit, quos pro nihilo habẽdos esse lex voluit, omnium actionum incapaces constituit, infames, & mortuis similes effecit, quos quadrupedibus, & pecudibus edicto Tribunitio æquauit Aquilius: quorum denique omne

[1] Genes. ca. 10.

murmur

murmur virga compescitur, tussis, sternutamenta, singultus magno malo luitur, vt aiebat Macrobij Prætextatus. Isthæc enim omnia, planè ad hominum inuentionem spectant, & cum natura ipsa apertè pugnant. Vndè constat de hac seruitutis ciuili constitutione accipiēda esse Iurisconsultorum responsa illa, quibus seruitutem natura incognitam esse probatur. §. ius autem gentium. Instit. de iur. nat. §. seruitus de iur. personar. l. libertas de statu homin. Sic enim consonabit iurisprudentia cum philosophicis præceptis, quod (vt & hoc obiter) fieri posse negauit Camerarius in his, quæ ad Aristotelem notat lib. 1. Politicorum, c. 1. Quapropter (vt concludamus) iure naturæ nulla constituitur certa dominationis species aut forma, recteq; scripsit Cicero[1], *Id* (inquit) *à Platone Philosophisquè didiceram, naturales esse quasdam conuersiones Rerumpublicarū, vt eæ tum à Principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à singulis. &c.* Et Aristoteles fusè disputat, quæ principatus forma præstantior sit, de qua item re celebres illæ extant trium Principum Persarum apud Herodotum, Dionysium, & Polybium sententiæ: quasi non obscurè à Philosophis doceamur omnes principatus formas secundum naturam esse, ac constitui posse, dummodo ordo sit, personarum distinctio, rerum constitutio.

1 Lib. 2. de Diuinat.

Probant quæ diximus, Imperium quod apud Germanos est, nec immediatè à Deo, nec ab ipsa natura constitutum esse. Si igitur ex humano iure (quod restat) huius Imperij constitutio constat, videamus nunc quanam ratione & titulo: Porrò iusta rerum dominia tribus potissimum modis acquiruntur, armis videlicet, successione, & Reipublicæ consensu. Primo modo, id est iure belli, Israeliticis, olim depulsis idololatris regibus, Regnum contigisse legimus, Babylonijs in vindictam eiusdem Populi delinquentis stabilitum aliquando supra

1 Re.i.c.24. & 25. Paralip.2. capi.vlt.

Israelem 1, Christianis Principibus Hierosolymitanum cessit Imperium, Patrum nostrorum memoria Catholici, atque inuictisimi Hispaniarum Reges aduersus Indos,& Antipodas legitimè pugnarunt, vt nouum illum Orbem,immo verò Orbes plurimos, quos tamdiù Diaboli malitia oppresserat,ad Christianæ fidei verám agnitionem volentes ducerent, aut nolentes, & reluctantes traherent, sacrosanctæquè Romanæ Ecclesiæ ouili adiũgerent,& eiusdem Sedis obedientiæ subijcerent. Tandem licet Alexandri in Asiam traiectionem Augustinus ambitionis notet, licet Romanorum in Tusculanos, Æquos, Volscos, Sabinos, Ernicosquè incursus iniqui à multis existimati fuerint, Cæsaris ignotis gentibus bellum vltrò illatum tam graue crimen Senatui visum sit, vt ipsum hostibus dedendum esse censuerit: licuit tamen & Ethnicis olim aliorum ditiones adoriri aliquando, renitentesquè debellare, & Christianis nunc licet secundum præscriptam legis nostrę Euangelicæ formam, vt latè explicant Catholici interpretes. At hoc titulo quisne Romanum Imperium Germanis competere dicat? Quis in historijs istius iuris vestigium edocere possit? aut quando Imperatoriæ ditionis dominium armis sibi acquisiuisse Germanos ostendat? Consequens igitur est, vt de alijs duobus titulis agamus, id est successionis, vel electionis iure, siue secundum legem, aut secundum genus,vt ex Platone Laertius refert.

Et certè successionis iure Imperium Romanum Germanis non competit. Nam primum nullus est,qui ignoret illos ab Romanis Imperatoribus non descendere, cum horum duplex fuerit, & in Oriente, & in Occidente successio. Orientalium autem linea iamdudum defecit. Etsi enim illam vsque ad Græcos illos durasse concederemus, quorum fœda ignauia multis antè annis ad nihilum ferè redactum fuit Imperij nomen, tandem illo

(si quid

(si quid supererat) ab Othomannis auorum nostrorũ memoria absumpto, & deleto fũditus in Cõstantino Palęologo omnino desijt, vt auctores sunt Historici omnes. Occidentalis autem multo antè desierat, Africa scilicet, Gallia, Britannia, Germania, & Hispania, quæ huius Imperij partes fuerunt, à Barbaris illis nationibus Vuandalis, Francis, Anglis, Hunnis, Ostrogothis, Alanis, alijsquè Septentrionalibus Populis occupatis: ipsa etiam Italia cum Vrbe Imperij Sede expugnata, & Augustulo nouissimo Occidentis Imperatore ab Gothicis Regibus exacto (capita auctorũ non cito, quoniam notiora sunt hæc, quam vt indigeãt testibus.) Iã si breuissimũ illud postea Imperij postliminium Gothis depulsis æstimari debeat, iterum tamen à Longobardis Italiam totam vastantibus deletum fuisse quis nescit? ipsa tantum Vrbe excepta, quam summa doctrina, prudentia, & sanctitas Pontifícis Romani defendit. Quod si forsan Germanicam Gentem illarum nationum aliquam esse dicant, quæ Occidentem inuaserunt (vt breuitatis causa falsum hoc esse non probemus) demonstrent ipsi, quo tempore barbari illi etsi rebus omnibus potiti, Imperij ius, aut nomen habuerũt; aut vt clarius error iste conuincatur, qua ratione id, quod bello acquisierunt, bello etiam non debuerunt amittere: Scimus enim barbaros prædictos Italiam vi occupasse, sed tamen armis ab eadem similiter fuisse expulsos.

Iam si à Francis oriundos dicas, & durare succesionem Francorum cõtendas, an negabis æque de iure hoc cum ipsis Germanis, Gallos posse contendere, qui cum Franci sint origine, retinent insuper Frãcorum nomen, atque appellationem? Sed admittamus Germanos Imperium Romanum eo titulo posidere, quo Frãci posiderunt olim, necesse erit certè, vt fatearis continuò ex beneficio Sedis Apostolicæ, atque eius auctoritate & no

mine non aliter illud obtinere. Leo enim tertius Pontifex Romanus (hæc ex omnibus cuiuſcunque ſæculi ſcriptoribus patent) in Carolo Magno primum, aut, vt verius loquamur, denuò creauit, nouequè ſanxit in Occidente Imperium: eo quidem tempore, quo Orientales Imperatores, apud quos inane ſolum nomen erat Imperij, infenſiſsimi hoſtes erāt Romanis Pontificibus, qui illorum turpem ignauiam, vilem imbecillitatē, pernicioſam denique εἰκονομαχίας hæreſim deteſtabantur, cum inquam, & orthodoxæ fideī dogmata Gręci deſererent, & Italiam à barbaris nationibus vexatam, nec vellent, nec poſſent defendere, tunc demum ad Francorum vicinos Reges Sedes Apoſtolica ſub Gregorio II. & Hadriano I. cœpit proſpicere, & illorum opera vti ad reprimendos barbarorum inſultus. Et tandem Carolus ex Francis primus in Occidente Imperator à Leone creatus eſt, qua quidem Imperij parte iure optimo ſpoliauit Sedes Apoſtolica Orientales, tanquam indignos, infames, hæreticos, omni ſcelere, & turpitudine contaminatos, niſi vero hoc negent Lutherani tantaquè ſit illorum malitia, vt iniuſtos vocent Francos Imperij detentores, qui ab eo habuerunt, qui dare non potuit: optio igitur illis datur aut Turcā Orientalis Imperij occupatorem, verū Imperatorē agnoſcant, & Chriſtianis præferant, & ab ipſo iura Occidentalia iniuſte abdicata probent: aut ſi hoc recuſant (quod dubito) Romanum Pontificem fateantur iure optimo potuiſſe in alios Imperium transferre, & Orientalibus adimere: & conſequenter eodem iure poſſe, quod ſemel fecit (ſi par cauſa poſtulaſſet, quod Dei miſeratione longiſsimè nūc abeſt) multoties facere. et multoties fecit. ex Baron. ad Venetos.

Supereſt vt electionis iure illud obtineant, hicquè totus ineſt quæſtionis nodus: cum enim hoc ita fieri, Germanorumquè Principum lectione Imperatorem deſigna-

signa-

ſignari videamus, dubium eſt, quo iure iſtud fiat, qua ori gine, quo auctore.

Verum enimuerò (quidquid ab aliquibus nouè tentatum ſit in contrarium) conſtat Gregorium V. Saxonem ius iſtud ſeptem Germanię Principibus cōceſsiſſe. Id autem vt conuincamus, ex doctiſſimis probatiſſimæque fidei auctoribus teſtimonia citemus. Et primum à ſancto Thoma [1] incipiendum eſt, cuius ſingularis do ctrina, eximiaque ſanctitas pro mille nobis teſtibus vnus eſſe debet. Illius igitur verba referam: *Per Greg. V. vt hiſtoriæ tradunt* (ait) *genere Theutonicum prouiſa eſt electio, vt videlicet per ſeptē Principes Alemaniæ fiat, quod hucuſq; perſeuerat, & tātum durabit, quātum Romana Eccleſia, quæ ſupremum gradum & principatum tenet, Chriſti fidelibus expedire iudicauerit.* Martinus quoque pænitentiarius in Chronicis ſummorum Pontificū & Imperatorum, Thomæ ſententiam expreſſis verbis cōfirmat: Ptolomæus Lucenſis idē probat: *Gregorius V.* (ait) *ad petitionem Othonis, electores inſtituit, qui ſunt iſti officiales Imperij, tres Cancellarij, trium videlicet nationum, quæ ad Imperium principaliter pertinebant, quia Germaniæ eſt Archiepiſcopus Mogūtinus, Galliæ Archiepiſcopus Treuerenſis, Italiæ vero Archiepiſcopus Colonienſis, Comes Palatinus qui dapifer, dux Saxoniæ qui portat enſem, Marchio Brandeburgo, præpoſitus Cameræ, Rex Bohemiæ qui eſt pincerna, &c.* Blondus [2] etiam huic ſententiæ adſtipulatur in hæc verba: *Gregorius V. eam fecit de Imperatoris electione ſanctionem, quam hucuſque per annos ſupra quadringentos ſeruatam videmus ſolis licere Germanis, qui inde electores ſunt dicti, principem deligere.* & addit, *Qui Cæſar tunc & Romanorum Rex dictus, ſi à Romano Pontifice coronabitur, Auguſtuſque appellabitur, ſuntque hi electores &c.* Idem teſtantur Cuſpinianus in lib. de Cæſaribus, & Platina de Pontificum vitis, Raphael Volaterranus hoc ipſum narrat, & in ſolo electorum numero differt, qui ſex tantum electores numerat. Henricus Mutius in Chronicis de Germanorum origine, moribus, & inſtitutis, quæ ipſe ex probatioribus Germaniæ ſcriptoribus ſe habuiſſe affirmat, ſic ait: *Gregorius V. filius Othonis*

Ducis

1. lib. 3. de regim. prīcip.

2. lib. 3. decade. 2.

Ducis Sueuiæ cognatus Othonis III. Bruno antea dictus coronauit Othonem III. & Augustum appellauit: huius Otthonis tẽpore electores sunt instituti. Cum Mutio conuenit Crantzius [r] scriptor apud Germanos illustris his verbis, *Gregorius V. eam fecit de Imperatoris electione sanctionem, quam hucvsque per annos quingentos seruatam videmus, solis licere Germanis, qui inde electores sint dicti principem deligere, qui Cæsar tunc & Romanorum Rex dictus, si a Romano Pontifice coronabitur, Imperator Augustus appelletur. Suntque hi electores, Moguntinus, Treuerensis, Coloniensis Archiepiscopi: Palatinus Rheni Comes, Dux Saxoniæ, Marchio Brãdenburgensis, Rex Bohemiæ &c.* Paulus quoque Langius Germanus itẽ scriptor, nec Romanæ sedis admodum studiosus in Chronico Citizensi: *Gregorius* (inquit) *V. sanctionem retulit de Imperatore deligendo, Data etiam tum est auctoritas deligendi Romanum Cæsarem septem Germaniæ Principibus.* & addit, *Notandum tamẽ quod, vt præmissum est, electus mox Cæsar & Romanorum Rex appellatur, tum demum Imperator & Augustus, si eum Romanus Pontifex confirmasset.* Idem denique testantur innumeri alij authores nemine inficiante, nisi vero omissio vnius rei in Historicis quasi res noua & inaudita mysteriũ denotet, & contrariam sententiam protinus constituat: hoc enim vnico fundamento communis opinio tot seculis valida à paucissimis (vt memini) nuper impugnata est, & in Gregorium Placentinum (Romanum tamen Pontificem non secus quam Greg. Saxonem) electionis huius constitutio reiecta. Sed esto, sit electio hæc quemadmodũ de Minerua & Vulcano tradit Pollux ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, an ne continuo omnibus orbis nationibus credis, Vuaramunde, te persuasurum peculiari nationi benignitate & indulgentia cæli cõcessum esse vt ipsi competat absque alia ratione, propria solum authoritate Imperatorem dare? Quid enim peccarunt Itali? Quid Galli? Quid Hispani? Quid aliæ innumeræ nationes potentissimæ ditione, opibus, hominibus? Iam si dicamus non Pontificis auctoritate, sed populi Romani vel Legislatoris illius, quem somniauit Patauinus, hoc est vniuersæ multitudinis subie-

ctæ

[r] in Saxonia lib. 4. cap. 25.

ctæ imperio, consensu & electione Germanicum Imperium constitutum, atque in septem Germaniæ proceres iura omnium trãslata: Doce, quo tempore celeberrimus iste Conuentus ad instar illius, qui ad Iosaphat indictus est, fuerit celebratus. Nam ius Populi Romani satis habemus perspectum, nullum fuisse ad eligendum Imperatorem, quod ante annos quingentos, à tempore translati Imperij in Orientem cessauerat, etsi quid recuperarunt Itali in hac parte, id permissione Pontificis habuerunt, vt de Comite Taurino, Marchione Montisferrati & alijs Italiæ Principibus, qui aliquando Comitijs Imperatorijs interfuerunt, traditum est.

Restet autem sub Iudice lis hæc, nec huius electionis authorem certũ constituamus: Nihil enim impedimus: dummodo his rationibus respondeas, quæ ex ipsis vestris Historijs peritè planè probant, Imperium istud, quãtum & qualecumque est, & electionis formam hanc, ab sola Pontificis Romani auctoritate, & voluntate pendere. Id enim in primis facile constat ex antiquissimo Imperatorum ipsorum prædicto more, quorũ nullus vnquam Imperator vocatus fuit, prius quàm à Romanis Pontificibus esset confirmatus, nec quicquam ante confirmationem pro Imperio gessit, vt manifeste colligitur ex Historiæ Francicæ & Germanicæ scriptoribus Vitichindo, Luitprando, Vuspergensi, Reginone, Sigiberto, Otthone Frisingensi, Hermanno Contracto, Lamberto Schafnaburgensi, Mariano Scoto, Dodechino, Roberto de Monte Sigefrido, Henrico Mutio, Alberto Crantzio (vt recentiores non numerem:) ex Italis vero Ptolemæo Lucensi, Antonino, Georgio Merula, Blõdo, Volaterrano & alijs pluribus: In quibus facile animaduertere poterit diligẽs lector obseruatum semper fuisse (excipio illos qui à catholica Ecclesia desciuerunt) vt à Pontifice Romano prius Imperatoris electio confirmaretur, quàm electus

pro

pro Imperio quidquam administrasset. Id enim Gregorium V. constituisse ex eisdem (quos citauimus superius) auctoribus constat. Vnius autem testimonium adducam, ne in re diutius immorer tristissima, illudque sumo ex Crantzio [1], quem dixi maximæ auctoritatis apud Germanos scriptorem esse: ait enim: *Non habetur Imperator nisi quem Romanus Pontifex confirmauerit & consecrauerit. Domini enim est terra & plenitudo eius, ipse transfert Regna, & Imperia dignissimèque ad suum in terris Vicariū hoc sacrum ministeriū delegauit &c.* Quod si confirmationem hanc Pontificis religiosam magis, quàm necessariã solemnitatem putas, omissis plurimis argumẽtis, quibus error iste planè conuincitur, illud adducam, quod de Alberto Rodulphi Regis filio narrãt Historici: Ille enim cum non semel ad Bonifacium Pontificem Romanum nuncios misisset pro electione sua cõfirmanda, Pontifex multis iuris & facti rationibus allegatis electionem repulit & im probauit, nullamque esse asseruit: cui exemplo plurima possemus addere, quæ & vera sunt & nota. Colligitur tamen (ut illo vtar testimonio quod validissimum iudico) quanta sit huius Apostolicæ confirmationis vis ex elegantissima illa Innocentij iij. [2] Decretali, circa quam omnis vlulat hæreticorum caterua, quæ docet ante confirmationem electæ personę examinationem pertinere ad Pontificem tam ex consuetudine, quàm ex iure: Ait enim Innocẽtius, *Ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem & promouendam ad Imperium ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus, coronamus. Est enim regulariter & generaliter obseruatum, vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manuū spectat.* Quæ quidẽ Innocentij verba explanans Henricus Cardinalis Ostiẽsis vir iuris vtriusque peritissimus, nec inter vltimæ ætatis authores recensendus, non solum ius inquisitionis & examinationis de persona electa in Imperatorem Pontifici competere probat, sed exceptionis etiam illi ius tribuit, ait enim: *Sicut potest inquiri de vita & moribus coronandi, ita & exci*

1. lib. 1. hist. cap. 14.

2. c Venerabilem. de elect.

& excipi. Personã quoque electi habilitat Romanus Pontifex, vt ex litteris Clementis V [1]. de Henrico Imperatore electo, constat. Verba autem sunt, *Nouerint vniuersi hoc instrumentum publicũ inspecturi, quod anno Domini M.CCCVIII Die Sabbati XXVI. mensis Iulij, Pontificatus S. Patris & Domini nostri Domini Clementis diuina prouidentia Papæ Quinti anno 4. in Palatio Papali Auenionensi in Consistorio publico solenni, postquam Clemens summus pontifex solemniter debitis præcedentibus D. Henricum reputauit, nominauit, & declarauit Regem (exigente iustitia) Romanorum, & personam ipsius approbans, pronunciauit eam & declarauit esse sufficientem, habilem & idoneam ad Imperium obtinendum, eidemque ad recipiendam vnctionem & consecrationem Imperialis diadematis impositionem de manibus suis locum, & terminum assignauit, &c.* Ex eodem Clemente V. cõstat vacante Imperio, iura ad Romanum Pontificem deuolui. Item quòd designatus Imperator ius administrandi Imperij non habeat, antequam ab Romano Pontifice fuerit confirmatus: quam constitutionem in cõuentu Francfordiensi, Hlodouicus Imperator reuocare nisus est; verũ illius decretũ tanquã consuetudini, & iuri contrarium, non longe post antiquatũ est. Sed & defectus si qui in electione ratione formæ, aut in electi persona interuenerint, supplere potest Pontifex Romanus, vt docet Clemens VI [2]. ad Carolum 4. Regem Romanorum scribens his verbis: *Romanus Pontifex cui Rex æternus & summus in personam beati Petri Apostoli clauigeri cælestis & terreni iura Imperij & plenitudinem potestatis concessit, supra cunctos fideles suæ curæ commissos inuigilat & intẽdit circa ea quæ fidelibus ipsis ampliora pacis & iustitiæ commoda afferre existimat. Habita igitur plena fide de electione tua & diligenter examinatis tua fide probitate ac conditionibus omnibus quæ requiruntur in eo qui est electus ad Imperialis culminis apicem sublimandus cũ pluribus prælatis & alijs magnæ authoritatis viris, qui tuos mores cõditionem, & statum plenius nouerant, inquisitione facta ad laudem & gloriã Omnipotentis Dei Patris & Filij & Spiritus sancti, & beatæ ac gloriosæ semperq; Virginis Dei genitricis Mariæ, beatorũ quoq; Apostolorum Petri & Pauli & honorẽ Ecclesiæ & bonum & promotionẽ Imperij & prosperum statum mundi, de fratrum consilio te in spiritua-*

1. Integrę extant in regest. Card. de Arago. apud Illus. Card. Anton. Carafam.

2. Integra apud eundem.

lem nostrum & Ecclesiæ filium suscepimus, tibi nostrum fauorem & gratiam concedentes, personaque tua, cuius nos & ijdem fratres nostri specialem prius notitiam habebamus idonea reputata, te nominauimus, denunciauimus, declarauimus, & aßumpsimus in Regem Romanorum &c. supplentes quoque omnem defectum, si quis aut ratione formæ vel tuæ aut electorum personæ, seu ex quauis alia ratione siue causa in eadem electione interuenerit quouis modo ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine præcipiendo omnibus fidelibus Imperij & vassallis Regni vt tibi tanquam regi Romanorum in Imperatorem promouendo pareant & efficaciter intendant. Hactenus Clemens VI. Ex quo manifestum fit absque Pontificis confirmatione electionem Romani Imperatoris nullam esse, cui competit electum examinare, approbare, habilitare, & si qui emerserint defectus, supplere.

Huic sententiæ accedit non solum Pontificiam approbationem necessariò requiri, sed electi consecrationem & coronationem item ab eodem Romano Pontifice suscipiendam esse: aliter enim Imperatoris titulo electus non vtitur. Quod cum ex dictis hactenus pateat, tũ maxime id obseruatũ videmus in Hludouico 4. Chunrrado 1. Hẽrico Aucupe, Chunrrado Sueuo, Rodulpho, Adolpho, Alberto, Ruperto & alijs Germaniæ Regibus, qui cùm benedictione & coronatione Pontificia caruerint, Imperatoria appellatione abstinuerunt, vt constat tam ex ipsorum diplomatibus & publicis omnibus scriptis & actionibus, quam etiam ex earum ætatum probatissimis scriptoribus, quos diligenter recenset Onuphrius Panuinus in libro de Comitijs Imperatorum.

Verum ne hic maleuola Vuaramundi mens obijciat inaugurationem hanc, quam a summo Romano Pontifice recipit Imperator, ad illum veterem vnctionis ritum spectare à Mosaica forsan lege mutuatum, quem Orientalis Ecclesia primùm, mox Occidentalis obseruauit, quam diuersa sit hæc ab illa ceremonia discat ille ab Innocentio 4. in Apologia cõtra Federicum 2. Cum enim dice-

diceret Federicus non plus iuris Romanum Pontificem habere in Imperatores, eo quòd illos coronet, & consecret, quam singulos Pontifices in reges, quos inungunt. *Aliud est* (inquit Innocentius) *de alijs Regibus, qui à suis Pontificibus inunguntur, aliud de Romano Imperatore, qui Romano Pontifici à quo Imperij nomen plenitudinẽ, honorẽ, & diadema consequitur fidelitatis & subiectionis vinculo obstringitur, sicut antiquitas tradidit, & modernitas approbauit. Itẽ aliud est de reliquis Regibus, quibus per hæreditariam successionem suorum perueniunt iura Regnorum, aliud de Imperatore Romano, qui per liberam Germaniæ Principum electionẽ assumitur, ad quos ius atque potestas eligendi Regem in Imperatorem à nobis postea promouendum, sicut ipsi non abnuunt sed fatentur, ab Apostolica sede prouenit, quæ Romanum Imperium quod Christianissimus Constantinus Orientalibus oris inuexerat in persona magnifici Caroli ex iusta necessitate eam in sedem transtulit Occidentis.*

Demum perspicue constat, (ne pluribus agamus) Romani Pontificis authoritate Imperatorem constitui, nec aliter rite Imperium administrari tum ex forma iuramẽti fidelitatis, quam ante promotionem ad Imperium Põtifici Maximo præstat, quæ habetur in libris ceremonialibus tit. de Imperatore: tum etiam ex illis omnibus ceremonijs, & solemnibus verbis, quæ in confirmatione, consecratione, coronatione Imperatoris adhibentur, quæ cũ vulgò sint notissima, prætermittenda sunt. Quid enim expressius, quã quod in illis precationibus ab iuniori Episcopo Cardinale supra Cæsarem genuflexo orantem cõceptis obseruatur, quæ præcedunt Pontificiã cõsecrationem & coronationem? in quibus cum adhuc Romanorum Rex consecratus non sit, nunquam vocatur Imperator, sed Rex tantum. *Deus* (verba cito) *in cuius manu corda sunt regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, & huic famulo tuo Regi veram appone sapientiã &c.* & rursum *Deus ineffabilis author mundi & conditor generis humani, gubernator Imperij, confirmator Regni, qui ex vtero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ præelegisti Regem seculis præfuturum, tu præsentem regem hunc benedictione æternitatis circunda &c.* Ante perfectam

consecrationem sedet Imperator post primum Episcopum Cardinalem proximus, post consecrationem vero tanquam dignitatem adeptus,& Imp. appellatur & iuxta Pontificem Maximum sedet, sublimior etiam sacro Collegio. Cum autem illi gladium tradit Pontifex, ante se stanti genuflexo ita ait, *Accipe gladium nostræ benedictionis officio in defensionem sanctæ matris Ecclesiæ diuinitus ordinatum.* Quo accepto miles efficitur Beati Petri. His adde eximium Christianę humilitatis & seruitutis officiũ, quod eo ipso die ab Imperatoribus antiquissima consuetudine exhiberi solet: tenet enim staphã (vt antiquis ritualiũ librorũ verbis vtar) quoad Pontifex equum ascenderit, & deinde accepto equi freno per aliquot passus ducit equum Pontificis. Ecce quot extent adhuc Romanis Põtificibus iuris sui vestigia, quæ nec aliquorum Imperatorum vis, nec hæreticorum turba, nec tempora ipsa vetustate & corruptione veritati persæpe vim inferentia, delere potuerunt.

Iam si istius iuris vsum requiras; an non plenæ sunt historiæ innumeris exemplis, quibus constat Imperatoria dignitate plurimos fuisse a Romana Sede priuatos, quos nec otium, nec rei euidentia recensere permittit?[1] Nam qui (vt quod dixi repetam) ab Orientalibus iura Imperij abdicare potuit, ab Occidẽtalibus abdicare cum ratio id postulat, non est prohibitus: hac enim ratione Ioannes[2] xxij. Romanus Põtifex Italicam ditionem ab Imperatorum Germaniæ iurisdictione destinauerat eximere. Cum autem Decretalis illa sententiarum grauitate, & pondere mirè niteat, pauca inde delibata hic subijcere non erit incongruum. *Quia in futurorum euentibus* (ait) *sic humani fallitur incertitudo iudicij, vt quod coniectura probabili, & rationabili inspicitur, immo interdum accepta consideratio pollicetur, nõ solum inutile, sed damnosum reperiri contingat plerunquè consultè prouisum, quod experimento certo producitur ex inspectione sanioris iudicij, nouis accedentibus consilijs immutatur. Probatur hoc inferius*

1 Vide inter alios Sixtũ Senẽs. Bibl. lib. 6. ad not. 72.

2 In regest. Cardin. de Arag. in Biblioth. illustriss. Cardi. Carafę.

[Manuscript marginal note:] Quod aut summus Pontifex eximere possit ab Imperio ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ provincias. u. Ferret. de re milit. tit.° de mod. exp. Vr6. n.° 97.

inferius describendæ Imperialis institutionis euentus, in qua discrepauit informis à præuiso iudicio sequens exitus diuturnæ experientiæ comprobatus, quamuis Scripturarum auctoritas eundem ortum Imperij vitiosum fuisse describat, vt à cupiditate occupatoris inciperet, & per violentiæ turbinem regnandi gubernacula improbis ausibus vsurparet. Patet quidem longè latequè notorium quod licet multi præsidentes Imperio Catholicè vixerint, & sibi ac subditis, verbis, exemplisquè profecerint, ac matrem Ecclesiam congruis præsidijs, & opportunis fauoribus defensarint, nonnulli tamen ex ipsis spiritu reprobatæ præsumptionis afflati filialem dulcedinem in priuignalem amaritudinem conuertentes, & abutentes eorum potestatis officio, persecuti sunt ipsam matrem Ecclesiam, professionem Christiani nominis, diuini cultus reuerentiam, & quietem publicam impugnantes. Non in abscondito maneat amara recensio Leonis Augusti, quem sacras ædes, & Ecclesias destruentem Gregorius prædecessor noster natione Syrus, & à Regno deposuit, & dignitate priuauit. In præsentem quoque notitiam reducat attentè moderna posteritas, olim Federici II. Cæsaris ingrata conamina, qui teneræ infantiæ finibus non completis ablactatus vberibus dictæ matris Ecclesiæ, ac eius educatus studio diligenti per Cardinales plures successiuis temporibus cum attentionis paternæ solertia extitit custoditus, & eiusdem matris Ecclesiæ prouidentia gubernatus, ac de angustijs, & tribulationibus multis ereptus, cum auxilio & labore ipsius matris Ecclesiæ diadema Regni Siciliæ, & præsidentiam potestatis òbtinuit, & ad ordinem Imperij cum ipsius præcipue fauore peruenit, qui datus in sensum reprobum, & mutatus in arcum prauum, ipsam matrem suam pluribus lacessiuit iniurijs, & grauaminibus multiplicatis afflixit Ecclesias, opprimens Cardinales, & Prælatos vocatos ad Generale Concilium capiens præsumptione sacrilega, sicquè tyrannide fauente peregit quod fe. re. Innocentius IIII. prædecessor noster fugiens faciem persequentis coactus est Sedem Petri, & Italiæ partes relinquere, & se Lugdunum vna cum fratribus suis transferre, qui Federicum ipsum exigentibus meritis à dicto Imperio, Regnoquè deposuit, & omni honore, ac dignitatis titulo iustitia exposcente priuauit. Nec prætereat considerantis intuitum, sed informet aduertentes auditum recens de facili memoranda commissione Imperatoris Henrici, qui diebus nouissimis, quorum prouidè expectanda sunt tempora totam quasi conturbauit Italiam, sicut habet vulgaris opinionis gressus, & serenitas rationis egressus, ac in summum temerariæ præsumptionis elatus contra admo-

nitionem

nitionem, & prohibitionem fel. recor. Clementis V. prædecessoris nostri Regnũ Siciliæ, disposuerat violenter inuadere, & ad loca contigua Regni prædicti cum numerosa militum comitiua reprobis conatibus inuasurus, fratribus nostris per Apostolicam Sedem pro ipsius coronatione transmissis eum increpantibus quod contra fidem per eum Ecclesiæ debitam ageret Regnum inuadendo prædictum, apertè ac malignè denegans vllum Sacramentum fidelitatis eidem Ecclesiæ præstitisse. Quia igitur ipsa causa institutionis, & conseruationis Imperij cessauit, & desijt, quin potius, vt declarant euẽtus in oppositũ se conuertit. Nos ad quẽ specialis prærogatiua pertinet ex præeminẽtia potestatis euellere, atque destruere, plantare, & ædificare, diuidere, & vnire. De omnipotentis summi Patris, & Apostolorum eius Petri & Pauli spe certa confisi, eorumque muniti suffragio de fratrum nostrorum consilio, & assensu perpetua deliberatione firmato ex præmissis rationabilibus causis, & alijs, quas præsentibus inseri mater obliuionis prolixitas non suasit, Prouinciam Italiæ ab eodem Imperio, & Regno Alemaniæ totaliter eximentes, ipsam à subiectione, communicatione, iurisdictione eorundem Regni, & Imperij separamus, diuidimus per partes scindimus, ac de potestatis nostræ plenitudine liberamus, decernentes, vt nul vnquã tempore coniungãtur, & vniãtur: At quod in vno corpore existere censeantur ex eo percipimus, quod earundem prouinciarum longa, diffusaquè protensio sic confundit, & impedit vnius regnantis iurisdictionis, & gubernationis effectus, quod ipsarum cura perplexè negligitur, & dum imperantis animus ad multa diuiditur, ad singula per consequens minoratur. De regimine, & gubernatione cum prouidentia Regis, ex eorundem fratrum nostrorum consilio, & deliberatione, solemni cautione prouisuri: ac declarantes Regnum prædictum Alemaniæ à Regno Franciæ claris distingui terminis notis finibus limitari distinctis per nos. De ipsorum fratrum consilio paterno amore prouidè distinguendis hoc nos, exemplum Christi actionis instruit, qui propter peccata regnantium regna diuisit, hoc docet prouisa ratio quæ malum separat, vt inita malitia grauius non offendat, his experimenta probata consentiunt, quæ dum promissis donis sperati successus non veniunt, noua remedia causa suadente prodeunt.

Hactenus Ioannes xxij. Quo quidem aduersus Vvaramundum vix reperire possemus meliorem, & facundiorem patronum. Huic adiungere libet domesticum aliud testimonium, omniquè exceptione maius ab infensissi-

mo nempè Ecclesiæ Romanæ hoste petitum, & quod in omnium ore versatur, Illud est ab Henrico iiij. Imperatore desumptum, quem quidem tradunt Historici immanissimum fuisse Romanæ Ecclesiæ hostem, plurima aduersus sanctas Ecclesiasticas sanctiones tentasse, sacerdotia, Pontificatus, monasteria vendidisse, sacrorum hominum coniugia nefariè introducere voluisse, maritos Episcopos designasse, Pontifices Romanos à se ordinari decreuisse, in Ecclesia deniquè Catholica perniciosum intulisse schisma Clemente antipapa in Apostolicam Sedem intruso. Huius igitur flagitijs, turpissimisquè sceleribus opposuit se omni postposito vitæ discrimine Gregorius vij. Romanus Pontifex, & cum illum omni prius Imperatoriæ administrationis iure priuasset, anathemate demum percussit, nec absoluit, donec deposito Regio ornatu nudis pedibus, etsi asperrima esset hyems, geluque cuncta rigescerent, ad se veniret, & veniam oraret, integram in posterum obedientiam, & emendationem pollicitus. Scio quidem (vt hoc passim notemus) Pontificem hunc tanto gradu virum dignissimum, ad deprimendas prauorum hominum insolētias natum, libertatis Ecclesiæ à captiuitate, & seruitute Principum gloriosum vindicē innumeris vos conuitijs oppetere [1]. Superbum enim illum, arrogantem, stolidum, simoniacum appellatis. At si aut horum scripta consulamus, diuersissimum proculdubio apud illos iudicium de sancto Pontifice hoc reperiemus: nam illum miraculis claruisse [2], signa, & prodigia per orationes fecisse [3] (referam enim ipsamet auctorum verba) dono prophetiæ fuisse præditū [4] in Ecclesiastico rigore constantissimum [5] inter Romanos Pontifices zeli, & auctoritatis [6] maximæ prædicant omnes; sed vt redeam: Henrico iterum ad vomitum redeunti, & omnia diuina, & humana iura violanti Gregorius rursus restitit, ac demum

1 Magdebur. Cētur. cēt. 11. c. 7. pag. 382.
2 Martinus Polonus.
3 Lābertus Schapnaburgensis.
4 Vinc. Gal. ex Guil. histor. in specul. lib. 25. cap. 44.
5 Otho Frig. lib. 6. c. 32.
6 Idem auctor c. 36. Gotfrid. Viterb. in chron. part. 17. Trith. in Chronico, Nauc. gen. 37. Crantz. in Metropol. lib. 5. c. 20. Sabell. Ennead. 9. li. 3. Tyrius lib. 1. c. 13. Anselmus, Bernardus Corbiēsis, Marianus Scot⁹, Martinus Polonus, Blondus, Abbas Vuspergensis, soli Centuriatores contra sētiūt.

mum varij exorti motus miserum Imperatorem perdiderunt: Dominus enim aduersus patrem cōcitauit filium, à quo cum indignissima pateretur Henricus, tandem ad illam sacram aram, quam toties antea cōculcauerat supplex cōfugiebat. Romanam enim Sedē appellabat, illius auxilium implorans, protectionē orans, iudiciū quærēs. *Nos autem pro consilio vestro* (ait in epistola ad Archiepiscopos, & cæteros Principes Saxoniæ) *& aliorum, qui nos odio non habent, religiosorum virorum parati sumus tam filio nostro si in aliquo eum offendimus, quam alicui in Regno libenter rationem dare. Præterea sicut Domino Papæ, in præsentia Legati sui & vestra obedire parati fuimus, ita & nunc parati sumus ei omnem debitam reuerentiam, & obedientiam, sincero corde, & deuotione præsentialiter exhibere. Rogamus vos, & obnixe precamur per auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, cui nos committimus, & honorem Regni, ne super nos, & fideles nostros veniatis; quia manifestum est, non eum diuinæ legis zelo, vel Romanæ Ecclesiæ dilectione, sed concupiscentiæ Regni, patre iniustè eo priuato hoc incepisse. Apud quem si interpellatio vestra, nullaquè alia interuentio ad præsens prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem, & sanctam vniuersalem Romanam Sedem, & Ecclesiam.* Idem etiam Henricus Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, cæterisquè Regni Principibus ita scribit, *Vos rogamus, & obnixè precamur quatenus pro Deo, & anima vestra, & pro appellatione domini Romani Pontificis Paschalis, & Romanæ Ecclesiæ, & pro honore Regni dignemini apud filium nostrum efficere, vt dimisso exercitu cesset nos persequi. Quod si nullatenus cessare voluerit, proclamationem inde fecimus, & semper facimus Deo, & sanctæ Mariæ, & beato Petro patrono nostro, & omnibus sanctis, & omnibus Christianis, & vobis maxime. Appellauimus, & tertiò appellamus Dominum Romanum Pontificem Paschalem, & sanctam vniuersalem Sedem, & Romanam Ecclesiam, &c.* Harum autem Epistolarum exemplar non recèns exortum est, aut à Catholicis confictum, sed à quodam eius temporis scriptore Henrico familiarissimo editum extat, qui ipsius vitam conscripsit, miseram mortem deflet, flagitia & scelera excusat. Exorditur enim, *Quis dabit capiti meo aquam & fontem lacrymarum oculis meis, vt lugeam, non*

excidia

excidia captæ Vrbis, non captiuitatem vilis vulgi, non damna rerũ mearũ, sed mortem Henrici Imperatoris Augusti, qui spes mea & vnicũ solatiũ fuit, &c. Gregorium quoque septimum (eum, quem diximus virum) ambitionis & simoniæ insimulat, & leuem hominem ac maleuolum appellat.

Ex his igitur, quę de Imperatoria dignitate dicta sunt hactenus, satis improbari arbitror futile & inane, immo certe hæreticum & schismaticum Vuaramundi sophisma, quo Gebhardum Coloniensem Electoris prærogatiua aduersus Romani Pontificis iurisdictionem satis munitum esse contendit. Verum vt propius etiam ad ipsammet dignitatem accedamus, euolue, obsecro, quæ circa annum MCCXLV. accidisse docent annales vestri: doceberis profectò Electores Imperij à iurisdictione Romani Pontificis minime immunes esse. Cum enim Innocentius iiij. in Concilio Lugdunensi Federicum Imperatorem ob maxima, quæ patrarat, crimina, omni honore destituisset, & eum Imperiali ac Regali dignitate, & nomine priuasset, Principibus, ad quos electio Imperatoris spectat, dedit eligendi liberam potestatem, eisquè vt statim eligerent, præcepit (hactenus citaui verba compilationis Chronologiæ, quæ vulgo Chronica compẽdiosa nominatur, & in Germanicæ Historiæ volumine Siffrido presbytero proxima subijcitur: cuius etiam Historiæ meminerunt reliqui omnes auctores) præcepit, inquã, Pontifex Romanus Electoribus, vt vacante Imperio per priuationem Federici à se factã, eligerent Henricũ Thuringiæ Lantgrauium. Epistolæ autem verba sunt, *Ad Principes Theutoniæ habentes vocem in eligendo Regẽ Romanorum: Quia inter cæteros orbis Principes honorem Ecclesiæ, atque Imperij tenemini specialiter procurare, nosquè firma credulitate speramus, quod ad exaltationem vtriusque, tanquam fide præclari, & deuotione sinceri sollicitè intenditis, & feruenter; eò confidentius vos ad id requirimus, quò nostris in hac parte beneplacitis libentius, & promptius vos credimus parituros. Cum igitur dilectus filius Lant-*

grauius Thuringiæ ad honorem Dei, & Ecclesiæ, ac Christianæ religionis præsidium, Imperij negotium assumere sit paratus, vniuersos vos monemus, rogamus, & hortamur attentè mandantes, quod de gratia Spiritus sancti confisi eundem Lantgrauium in Romanorum Regem, & Imperatorem postmodum promouendum, cum præfatum Imperiũ ad præsens vacare noscatur, vnanimiter absque dilatiõne eligatis: intendentes sibi fideliter, atque constanter, & viriliter assistentes ad laudem, & gloriam Domini nostri Iesu Christi, Catholicæ fidei, & Ecclesiæ libertatis augmentum, & tranquillitatem totius populi Christiani. Nos enim eiusdem Imperii, ac nostra, & aliorum Principum Theutoniæ negocia curabimus, auctore Domino, indefessa sollicitudine promouere. Eodem exemplo scripsit idem Põtifex ad Regẽ Bohemiæ. Quòd vero electores ipsi fecerint, quod iussi sunt ab Innocẽtio, probãt literæ ipsius ad Archiepiscopũ Moguntinũ, quæ sic habent: *Literis tuis affectuosè receptis, ex earum tenore collegimus, quòd dilectus filius Lantgrauius Thuringiæ communi consensu Principum in Romanum Regem electus est. Qua de re ei, qui vota inspirando præuenit, & prosequitur adiuuando, dignas gratiarum referimus actiones. Te verò filium rogamus, & hortamur attentè mandantes, vt Regem ipsum monere, efficaciter inducere, ac confortare procures, vt de virtutis diuinæ suffragio, & Sedis Apostolicæ fauore confisus, præfatum negotium, quod tam animose suscepit, strenuè, ac viriliter persequatur: alios insuper Theutoniæ Principes, tàm Ecclesiasticos, quàm sæculares iuxta datam tibi à Deo prudẽtiam animare studeas, vt prædicto Regi plene, ac fideliter intendentes eidẽ assistant. Regi autem nondum scripsimus, pro eo quod ipsius solemnes nuncios expectamus, cũ quibus de his, quæ in negotio videbimus oportere, plenariè disponemus. Datum Lugduni, Quinto Idus Iunij, anno tertio.* Eodem quoque exẽplo scripsit ad vniuersos Comites, & nobiles per Theutoniã cõstitutos, in cuius epistolæ calce hæc addit: *Vniuersos vos monemus, rogamus, & hortamur quatenus Regem ipsum totius honorificentiæ debito prosequentes, eidem cuiuslibet contradictionis, & difficultatis amoto repagulo promptè, & fideliter intendatis, & assistatis viriliter & patenter, alioquin dilecto filio electo Ferrariensi Apostolicæ Sedis Legato literis nostris iniungimus, vt vos ad spiritualem, seu temporalem districtionem, prout viderit expedire, compellat.* Siffridus Misnensis presbyter in Historia: *Lantgrauius* (inquit) *Thuringiæ, Henricus cognomento Rapso in Regem*

gem Romanorum electus est annuente Papa Innocentio. Erphesfordensis monachus diligens scriptor, qui rerum per C C C. annos gestarum historiam ad Lambertum Schafnaburgensem addidit, eandem sententiam probat: cumquè hoc accidisse constet, eo maxime tempore, quo Federici Imperatoris impietas omnia diuina, humanaquè iura pessum dabat, Romanam maxime Ecclesiam funditus euertere totis viribus nitebatur, nihilo tamen secius apud Catholicos Principes Electores profecit, quantùm par erat, Innocentij Pontificis auctoritas.

Simile extat exemplum in his literis, quas ijdem Electores ad Romanum Pontificem dederunt tempore Imperatoris Vvincislai, qui cum segniter, & lasciuè viueret, ac eum inutilem Imperio iudicarent, vt sibi liceret de alio Imperatore eligendo agere à Romana Sede impetrarunt: eorum autem institutum magnoperè approbauit Pontifex, & misit Legatos hortans illos, vt in proposito permanerent. Cum igitur ex sententia Romani Pontificis abdicato Vvincislao elegissent Robertum Comitem Palatinum Rheni, eius electionem approbauit Pontifex: Ita enim probatissimi Scriptores [1] tradiderunt, vno inficiante Scriptore anonymo, qui de Lantgrauijs Thuringiæ historiam conscripsit. Denique, vt vnico exemplo rem notissimam absoluamus, quid, obsecro, obijci potest ab impudentibus istis nugatoribus aduersus eam epistolam, quam Electorum Conuentus scripsit Nicolao iij. Pontifici Romano, in qua quidem ingenuè fatentur Electores Principes se omnem potestatem eligendi Regem Romanorum habere ab Ecclesia Romana? atque aiunt: *Quemadmodum nos Ecclesiæ Romanæ auctoritate suffulti illum eligimus, qui materialem gladium ad eius, qui Christi Vicarius est, nutum excutit, & conuertit, ita eius præsidio pastorum pastor adiutus, oues sibi creditas gladio spiri-*

1 German. script. omnes. Aen. Silui⁹ hist Bohem. capi 34.

tuali communit, reponit, & corrigit ad vindictam malefactorum, laudem vero credentium. Postremò autem protestantur se in actu voluntatis, & operis profitentia esse filios deuotionis, & pacis Romanæ Ecclesiæ. Omitto notissimum illud iuramenti sacramentum, quo fidem suam Electores in ipsa assumptione sua ad istam dignitatem, obstringunt, de non discedendo ab Ecclesia Catholica Romana; de obediendo Romanis Pontificibus, vt istius dignitatis auctoribus, summisquè eiusdem ordinis iudicibus. Quod igitur Electores ipsi libenter agnoscunt; quod dignitatis suæ ornamentum, decus, amplitudinem esse perspiciunt; quod præstaturos se iurisiurandi interposita religione pollicentur, id iste vilis assentator, tanquam exitiale nocumentum auertendum clamat: ipsorum etiam Electorum nomine, quæ sua est vanitas, & scurrilitas, causæ huius, quam fouet, patrocinium suscipit.

Sed demonstremus (paucis tamen) hos Principes non solum à Coelectorũ Collegio, vt ait Leonhartus, sed ab ipso vno Pontifice Romano Electionis iure spoliari posse. Monendus autem erit in primis hanc electionis formam triplici de causa institutam fuisse à Romana Sede, vt à nobis probatæ fidei præcitati scriptores tradiderunt, Ptolemæus scilicet Lucensis, Ricardus, Cusentius, Beatus Thomas, Beatus Antoninus, Augustinus Anconitanus, vt alios omittamus. Prima, ob egregia merita Germanorum Principum erga Ecclesiam Romanam. Secunda, propter ipsius Germanicæ nationis pietatem in sanctam memoriam Apostolorum Petri & Pauli, continuasquè istius Gentis ad visitãda sacra limina peregrinationes: quibus tertiam rationẽ addunt præcitati authores, liberam videlicet Pontificis voluntatem, qua vna potuit illud beneficium conferre Gẽti, cui naturæ affectu propensus erat. Cũ igitur his rationibus adducta

adducta sacra Sedes Germanicæ præ cæteris nationibus istud concesserit; quid oberit (rogo) quominus cessantibus his causis, immo alijs noue succedentibus è regione cum istis pugnantibus tanquam ab indigno electionem auferat? *Si palam & apertè* (Modestinus ait) *testatori maledixerit & infaustas voces aduersus eum iactauerit denegatur eius, quod testamento accepit, persecutio*. Qui igitur Pontificem Maximum Romanum suæ dignitatis authorem, tot contumelijs, maledictis, imprecationibus lacessit, iudicabit ne æquus quisquam iniustum, si ab illo, veluti iniquo indignoque possessore, omne commodum & emolumentum au ferat ur

Verum vt historiarum monimenta id testentur, quod lex diuina, naturalis, & humana proclamant, sit istius veritatis testimonium ex eo ipso Clemente, quem supra citaui desumptum. Qui cum audisset Germanos Principes cogitare de Corradino Federici Imperatoris nepote in Regem Romanorum eligendo, scripsit ad Archiepiscopũ Coloniensem & ad omnes Electores interminata priuationis pœna, si illud facerent, *Si qui fuerint* (inquit) *qui ad Corradini electionem processerint, si principes fuerint, eos & hæredes eorum perpetuo omnibus feudis & honoribus tam eos, quàm posteritatem eorũ vsque ad quartã generationẽ iure eligendi Romanorũ Regem Apostolica authoritate priuamus, & rursum eorundẽ filios clericos vsque ad 4. generationem reddimus prorsus inhabiles ad dignitates & beneficia Ecclesiastica obtinenda. Si vero Electores huiusmodi Prælati fuerint, ipso facto depositi ac nudi remaneant omni dignitate*. Hoc igitur decreto vetuit Clemens ne Electores eligerent Corradinum, & eadem opera ostendit eosdem Romano Pontifici subiectos esse, quippe qui, vt ipsius auctoritate constituti sunt, ita & eius decreto abrogari possint.

Tandem, vt omnis calumniæ occludatur aditus, referam breuiter vnũ aut alterũ exemplum, quibus constet non tantũ Imperatores, Electoresq; Imperij à Romanis Põtificibus dignitate exutos, & abdicatos fuisse, sed non

minatim Ecclesiasticos Electores ob similia his, quę iste patrauit crimina, sacerdotio, Electionis iure, omni denique dignitate & gradu priuatos esse. Guntheriū interim tāquam vetustatis situ obliteratum testimoniū relinquamus: quem tamen vna cum Tetguado Treuerensi Anno Domini 865. à Nicolao P. Rom. anathemate damnatum, & [1] ab Episcopatu depositum testantur Sigibertus Monachus, Marianus Scotus & Regino. Huius autem, tū quod illius fere sęculi author sit, tum etiam quod insigniter apud vos authoritate valeat, vt vetustissimus omniū Germanicarum rerum scriptorū author, verba hic subijciam. Ait igitur, *Interea Thietguadus & Guntherius Archiepiscopi Romam profecti sunt, ea animi intentione, vt & Regem innoxiū in supradicto facto demonstrarent.* (Lotharium intelligit, qui Thietberga vxore pulsa, Vualdradam concubinam duxerat, cuiusdam Conciliabuli Aquisgrani coacti, cui præses fuerat Thietguadus, sententia fultus.) *Et se cum cæteris Coepiscopis Ecclesiastica atque Apostolica exercuisse decreta, stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt: quæ nec se fefellit, nec ab aliqua vnquam hæresi falli potuit. Itaque cum in præsentia Nicolai Papæ venissent, libellum obtulerunt, in quo continebantur gesta Synodalia, quæ in Mediomatrico vrbe & Aquis ab eis statuta fuerant. Quæ cum à Notario coram omnibus recitata essent, interrogauit Pontifex, si hæc scripta verbis confirmarent. Responderunt, inconueniens videri, vt quod proprijs manibus roborauerāt, verbis infirmare mallent, & sic nec repulsa, nec admissa eorum assertione iussi sunt ire ad hospitia sua quousque reuocarentur. Paucis interpositis diebus ad synodum, quam Papa congregauerat, sunt accersiti, vbi eorum damnata & anathematizata sunt scripta, & ipsi omnibus adiudicantibus Episcopis, Presbyteris & diaconis sunt depositi, & omni Ecclesiastica dignitate priuati. Qui tam turpiter dehonestati Ludouicum Imperatorem fratrem Lotharij Regis adeunt, qui ea tempestate Beneuentanis morabatur in partibus, scriptis ac dictis vociferantes se iniuste esse depositos, ipsi Imperatori, & omni sanctæ Ecclesiæ iniuriam esse factam, cum nunquam auditum sit, vel vspiam lectum, quod vllus Metropolitanus sine conscientia Principis vel præsentia aliorum Metropolitanorum fuerit degradatus. Adiecerunt insuper*

[1] c. scelus. 2. q. 1. cap. Thetguadū. 11. q. 3.

a Sab. in can. 4. 31. q. 2. incip. Lothar.

insuper multa alia, blasphemantes eundem Papam, quæ hic superfluum duximus enumerare, existimantes eiusdem se Imperatoris adminiculo, simul & intercessionis ope & criminis obiecti aboleri notam, & pristinæ dignitatis recuperare statum, sed spes eorum frustrata est, quamuis Imperator omnibus votis illis opitulari voluisset. Thietguadus depositionis suæ à Sede Apostolica prolatam sententiam patienter ferens iuxta præcedentem consuetudinem nihil omnino de sacro ministerio contingere præsumpsit. Guntherius verò superbiæ spiritu inflatus vetitum sibi officium vsurpare ausu temerario non expauit, paruipendens Apostolicã excommunicationem. Reuertuntur igitur in Franciam debita confessione repulsi. Et dum iterum ac tertiò Sedem Apostolicam reparationis & restitutionis gratia adiissent, nouissime in Italia infirmitate præuenti, peregrini & exules moriuntur, cõmunione laicali sibi tantũ concessa. Hæc Regino. Sed criminaberis forsan eo tempore nondũ dignitate Electoris insignitum Coloniẽsem; An ne deerunt (vtinam vero deessent) recentiora exempla? Adducam quod de Henrico Moguntinẽsi Archiepiscopo Electore etiam atque Germaniæ Cancellario narrant vestri Historici. Is eo anno quo signum in sole apparuerat septimo Kal. Februarij à Christo nato 1153. in Pentecoste ex præcepto Eugenij [1] Romani Pontificis depositus est, & Arnoldus Cancellarius electus, quo rursum in Monasterio S. Iacobi à Moguntinis circumdato & plebe furente, monasterio concremato, occiso, Christianus Mersburgensis Præpositus eadem authoritate Pontificis Romani Episcopus constituitur; ait enim Monachus Erphesfordensis in additionibus ad Lambertum: *Hic etiam Moguntinenses immanis facinoris rei super interfectione Episcopi sui extinctione luminum execrantur, & communione priuantur, qui tam grauem sui casus damnationem paruipendentes, Rudolphũ Bartholdi Ducis germanum sibi præsulem elegerunt. Quo contra Conradus Palatinus ac Ludouicus Lantgrauius apud Francfort suffraganeorum Episcoporum ac Treuerensis Legati Apostolici præsentia, immo legatione freti Christianum Mersburgensem Præpositum paucis arbitris Episcopum constituerunt.* Adducam item quod de Adolpho 3. de Altenac ex maioris Ecclesiæ Præposito anno Domini 1199. in Archiepiscopum Coloniensem le-

[1] Dodechi. in appẽd. ad Marian. Scot.

cto Brunonis iij. fratre & succedaneo scribunt ijdem authores vestri. Et quoniam rem reliquis distinctius explicuit Crantzius [k] in Saxonia, describã ex eo quædam,

k lib. 7. cap. 23.

Vuilhelmus (inquit) *Comes Iuliaci cum partes Othonis cõtra Philippum diu fouisset, auersus cœpit literis agere apud Philippum si gratiam aliquam apud ipsum inueniret, nosse se viam, qua Coloniẽsem Archiepiscopum, qui maxime Othonẽ tueretur, Othonis lateri detraheret. Constituitur ea de re à Pilippo locus ad colloquium, conuenit inter eos vt si quod polliceretur, efficeret, acciperet à Rege prædium, quod sexcentas præstaret annuas marchas: Vuilhelmus pollicitus operam, conuenit Adolphum Archiepiscopum Coloniensem. Vides (inquit) quo res vergat? Quid nitimur in aduersum flumen? totus Philippo orbis consentit, Placeat tibi consilium meum, vt Othone relicto Philippũ sequamur. His atque alijs verbis motus Adolphus Vuilhelmo non refragatur; & missis inuicem crebrioribus nuncijs Philippum Adolphus Aquisgranum perductum regem consecrat. Displicuit ea res plurimum Coloniensi Capitulo & Populo, ita vt in faciem resisterent Archiepiscopo suo quod tantopere variaret, ipsum esse qui Othonem summo Pontifici commendasset, nunc versa sententia illum sine causa reprobaret. Cumq; Archiepiscopus in coepto suo persisteret, missæ sunt à Capitulo & Populo litteræ ad summum Pontificem, Archiepiscopi fluxam fidem accusantes. Vocat Papa Pontificem vt veniat infra mensem & dimidium obiectis responsurus. Ille neglecto Ecclesiæ mandato domi resedit. Dati sunt Iudices Canonici & duo parochiales qui eum legitime citatũ monerẽt vt errori suo renunciaret: alioquin excommunicatum deijcerẽt sede sua, & idoneum alium præficerent Ecclesiæ, ad formam Apostolici mandati, sed Archiepiscopus omnia contempsit. Ergo cum non aquiesceret monitis Delegatorũ post excommunicationem, interdicto supponitur, & omnibus insordescens deponitur: & Bruno Bunensis Præpositus in locum eius eligitur.* Hæc Crantzius: qui continuò epistolam Innocentij anathematismum & priuationem Adolphi continentem subijcit, & ait: *Hanc inserendam putaui Decretalem epistolam, quia plena est rebus gerendis nunc, tunc gestis; taliter vt meruit de sua dignitate Adolphus est eiectus & Bruno Bunensis Præpositus in eius est locum subrogatus, qui à Domno Apostolico Archiepiscopatus insignia suscepit.* Refert post hæc Crantzius, quæ huius rei causa euenere. Bruno enim à Philippo capitur in Vvassenberg, Legati Pontificij mittũtur Cardinales duo,

qui

qui interminato anathemate Philippo præciperent, vt Brunnonem laxaret vinculis, & liberum dimitteret. Hoc cum Philippus diu detrectasset, tandem ea conditione effecit, si Adolpho fieret sedis suę prouisio, ac quasi restitutio, Brunnone interim apud Apostolicã Sedẽ Romæ manente. Quod tamẽ minime obtinuit: ait enim Crantzius, *Solũ dispẽsatũ est tãtisper cũ Adolpho vt ducẽtas annuas de teloneo Bũnẽsi & tantundẽ de Coloniensi, & octo stipẽdia in ipsa Ciuitate perciperet. Quibus rebus perfectis Brunno ad Ecclesiã suã quietus regreditur.* Cum Crantzio conueniunt reliqui auctores vestri, quorum capita non allego, ne sim prolixior: publice enim anno Domini 1205. prædictum Adolphũ ab Innocentio iij. per Sifridum Moguntinum amotum esse, anno suæ præsidentiæ sexto, Annales Colonienses testantur. Hoc ipsũ probat Dietheri Mogũtini Archiepiscopi priuatio ab Pio ij. Romano Pontifice facta ad annum Domini. 1460. in illiusque locum Adolphi de Nasaou substitutio. Quid plura? cum in re versemur, in qua quidem si immoremur, periculosius laborabimus exemplorum tam antiquorum, quàm recentium abundantia, quàm inopia. Atque ò vtinam & eorum, quæ vestra, scelestissimi seductores, opera Christianæ Reipub. inflicta sunt vulnera, tam luculentæ atque expressæ nõ extarent cicatrices: Hermannũ enim V. Comitem à Vveda assumptum anno Domini 1515. in Archiepiscopum, confirmatum à Leone X. Põtifice max. inauguratum Coloniæ Anno 1518. Virum quidẽ natura bonum, liberalem, pacis studiosum, multisque alijs virtutibus præclaris ornatum, qui Carolum V. ac Ferdinandum in Reges ac Imperatores Romanos elegit, & coronauit: qui tranquillè annis 32. rebus præfuit; hunc, inquam homines perfidi Lutherana hæresi grassante ad eandem secum nassam misere abduxerunt, & à Catholica & auita religione in fœdos errores traduxerũt. Cum verò crebrius admoneretur vt desisteret, & vanos Lutheranismi

concionatores pelleret, quorum Buccerus Apostata princeps erat Bonnæ, minime acquieuit, demumque nulla ratione à sententia inuehendæ in suas ditiones pestiferæ sectæ, deductus iussu Pōtificis max. Clementis vij. loco mouetur, dignitate priuatur, sacerdotio spoliatur, & biennio tantùm superstes priuatim vixit. Referam ne plura? Vetus & obductum hulcus refricem? communibus malis insultem? Ecclesiæ conflictus & æui nostri calamitates redintegrem? minimè. Ex his enim, quæ diximus, Hæretici Vuaramundi mens improba dignoscitur, illius artes deteguntur, & præstigiæ cauentur.

Quamobrem, vt istud addam, si huius liuori daremus illud, vt Electoribus incompetens esset Pontificium tribunal, quo quidem victoriam sibi pollicetur, an non illi restaret efficiendum, Truchsium Electorem tantùm, non tamen ouem Christi, non Ecclesiæ militantis ciuem, nō ex Dei populo vnum esse? Christus certè etsi Electores Principes nominatim imperio Petri non subiecerit, at subiecit oues suas omnes, nulla excepta. Superest igitur tibi adhuc, Leonharte, arx hæc expugnanda, & nodus iste soluendus: nec enim Symmachus [1] alia ratione Anastasium Imperatorem, quam hac, obiurgat. *Quid* (inquit) *interest Imperator sis, si Christianus es? an Imperatores ex ouili Christi non sunt, quod Petro, & Sedi suæ commisit Dominus?* Et Nicolaus Archiepiscopus Galliæ scribens, *An Episcopi* (inquit) *de vniuersali Ecclesia non sunt, vt de illis damnandis ad vnam Petri Sedem deferri non curetur?* Hæc tu tamen omnia conculcas, & vt es optimi ordinis studiosus, alienos fines Pontificem inuadere iniquum iudicas, Ecclesiasticæ, & sæcularis potestatis limites confundi non pateris. Quod si hæc vera sunt, si tantus & tam vehemens te habet rectè disponendarum rerum ardor, & Truchsium Electorem illustrissimo Principum Electorum Collegio sisten-

[1] In Apolo.

dum

dum probas, cur eundem presbyterum, & Episcopum, laicorum iudicio committis? cur spiritualem hominem spirituali Iudici subtrahis? Quod magis æquum putas, si quid inordinatum foret admittendum, Ecclesiastica ne iura abrogari, an sæcularia? an quod Carolus Imperator aureæ Bullæ auctor, sacrorum hominum causas sibi cognoscendas decreuerit? quod plus sibi licere arbitratus fuerit forsan, quàm licuit olim Constantino pijssimo, potentissimoquè Principi primo Imperatori Christiano? *Mihi quidem* (inquit Constantinus) *homini errori obnoxio nefas esse videtur Ecclesiasticorum virorum accusationes recipere, & audire. Nec etiam omnino conuenire puto Dei ministros tales se præstare debere, vt vel à me, vel ab alio iudicentur.* Sed & huius magni Imperatoris institutor Siluester: *Nec ab Augusto* (ait) *nec ab omni Clero, nec à Regibus, nec à populo iudex iudicabitur.* Siluestri autem optimus interpres Nicolaus [1]: *Haud dubium* (addit) *quin Ecclesiasticus.* Hanc autem Siluestri sanctionem Carolus magnus Imperator æquissimam censuit, & suis constitutionibus inseruit. Hanc adeò probarunt antiquissimi Canones [2] Ecclesiæ Coloniensis (vt aliorum Conciliorum innumera decreta omittam, domesticisquè testibus te cum agam) vt æquius iudicauerint oppressos à sæcularium Principum insolentia Sacerdotum iudicio liberari, Anacleti [3] decretum confirmantes, quam contrà, Sacerdotum causas laicorum arbitrio committi. Hanc probauit postea Beatus Martyr Engilbertus de Monte, quo, vt Historiæ vestræ testantur, post Brunnonem primum, nullum illustriorem habuit Præsulem Colonia, qui ob istud Ecclesiasticarum personarum priuilegium à Friderico Isemburgensi per insidias petitus iuxta pagũ Suuelme viginti octo vulneribus interemptus est: is (inquam) decreto diœcesano, quod postea ab Henrico, Prouinciale factum est, excommunicat, de-

1 In episto. ad Michael.

2 cap. 3. Colon. Syno 2. habitæ sub Carolo 3. cognomēto Crasso.

3 cap. omnis oppressus 2. q. 6.

ponit, & ſacerdotio priuat Clericum, qui perſonam Ecclesiaſticam vocauerit ad iudicium ſæculare: & alia ſubſequenti conſtitutione excommunicat eos omnes, qui Clericos occaſione quacunque ad forum ſæculare traxerint. Quid igitur clamat iſte? qua ratione, aut quo titulo, iuris in quo verſatur turpiter ignarus, Epiſcopi cauſam ſæcularibus Iudicibus, potius quàm Eccleſiaſticis, demandari vult? Scimus, tolerabilius certè exiſtimat eſſe, grauiſsima quæque ſubire, quàm Pontificis Romani, cuius ſacroſanctæ dignitati æternus hoſtis eſt, Imperium agnoſcere. Verùm quidem etſi te ruperis, *Romanus Pontifex locum Dei obtinens, præeſt omnibus dominis, Sacerdotibus, Regibus, Principibus, patribus, filijs, magiſtris, atque ſubditis ſimul omnibus, increpat peccantes, admonet eos qui non conuertuntur, hortatur ſtantes vt perſeuerent in bonis.* Quemadmodum ſcripſit Clemens [1], & ſicut Gelaſius [2] admonet, eam habet poteſtatem, quam beatus Petrus Apoſtolus Domini voce, & tenet, & ſemper tenebit.

1 Cōſt c.11.
2 10.q.3.capi.17.

Denique ſi electores Principes, quorum, vt diximus, inſtitutum & origo aliquibus nuper venit in dubiū, à ſe ipſis ortos, ſuo ſtare pondere affirmas, an ne Epiſcopales in Germania ſedes ab hac ſacroſancta Romana diſpoſitas, eius authoritate conſtitutas negabis? earum primæuam educationem Romanæ Eccleſiæ inuidebis? Illas enim Bonifacium Epiſcopum nomine Apoſtolicæ Sedis inſtituiſſe & ordinaſſe auctores ſunt Germanici ſcriptores, & Zacharias Pontifex ad Vvittam Eccleſiæ Barbarenæ Epiſcopum ſcribens cum magna exultatione extenſis ad ſydera palmis (vt ipſius verbis vtar) illuminatori & datori omnium bonorum Domino gratias agit, cuius beneficio & miſericordia id effectum prædicat: *Innotuit nobis* (inquit) *ſanctiſsimus ac Reuerendiſsimus Frater ac Coepiſcopus noſter Bonifacius nuper decreuiſſe & ordinaſſe in Germaniæ partibus Epiſcopales ſedes. Flagitauit autem à nobis pro ſuis ſyllabis iam dictus ſanctiſsimus vir per Apoſtolicam authoritatē veſtras confirmari ſedes. Pro quo &*

nos

nos ardenti & diuino iuuamine, ac authoritate Beati Petri Apostolorũ Principis, cui data est à Deo & Saluatore nostro Iesu Christo ligandi, soluendique potestas, peccata hominũ in cælo & in terra, confirmamus atque solidas permanere vestras Episcopales Sedes sancimus, interdicẽtes ipsius principis Apostolorum authoritate à præsenti omnibus & in futuras generationes, vt nullus audeat contra eandem vestram venire ordinationem, quæ (dignante Deo) ex nostra perceptione in vobis facta est: & hoc interdicentes vt nullus audeat iuxta sacrorum Canonum traditionem ex alio Episcopatu ibidem transflatari, aut ordinare Episcopũ post vestram de hoc sæculo euocationem, nisi is, qui Apostolicæ nostræ sedis in illis partibus præsentauerit vicem &c. Ecce quot titulis Truchsij causæ cognitio Gregorio xiij. P.M. cõpetat, qui quidem vt legitimus successor Hadriani, Leonis, Gregorij PP. à quibus originem, dignitatem, incrementum Germaniæ suscepit Imperium, Electores Principes constituere, & instante causa destituere recte potest; Vt Gregorij ij. ac iij. qui Episcopales in Germania Sedes Bonifacij Episcopi ministerio disposuere, successor, Germanici Episcopi causæ cognitionẽ iure optimo sibi vendicat; vt Romanę Ecclesiæ, quæ omnium aliarum Ecclesiarum causas solet & debet cognoscere, tanquam illarum caput & magistra, Præsul, summaque spiritualis in Catholica Ecclesia potestas, spiritualis hominis, id est sacerdotis & Episcopi causam examinat, & iudicat; vt deniq; Christi Vicarius, Petri successor, cui Christus vniuersum Gregem suum regendum tradidit, Truchsium, qui è grege Domini per baptismatis lauacrum, vnus est, pascere monitis, imperio regere, corrigere, plectere rite potest. Vos igitur, o ijdem Illustrissimi Germanię principes, augustissimus Electorum ordo, quos iste toties implorat, cauete improbam scurræ artem, sirenem subdolam prænauigate. Vetustissimũ est quidem hæreticorum ingenium aut eorum, qui dignitate in Ecclesia Dei excellunt, animos, ad miseros errores suos allicere; aut si non possint, vt perditæ suæ doctrinæ fidem concilient, eiusdem patronos, fautoresque illos es-

ſe vanè venditare,& quæ illi deteſtantur dogmata, ea illos probare, ac ſimili, qua ipſi, amentia inſanire, mẽdaciter ſimplici populo perſuadere. Quapropter vos, nobiliſſimi Proceres, ſiniſtrę ſuſpicionis notam, (in quam niſi tam eſſet egregia pietas ac religio veſtra Orbi perſpecta impudentiſſimus nugator iſte vocaret) procul auertite: humanas poteſtates, regna, Imperia non tantum ad mundi gubernationem, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium conſtituta agnoſcite: vobis enim non minus erit glorioſum de Eccleſię, quam de Reipublicæ hoſtibus triumphare. Magnum erit (vt aiebat beatiſsimus Leo Pontifex ſcribens Leoni Imperatori) vt diademati veſtro de manu Domini etiam fidei addatur corona, & de hoſtibus Eccleſiæ triumphetis. In commune procul dubio nocumentum callidæ tendunt Vuaramundi aſſentationes; & quam vobis ſacroſancta hæc Sedes Deo duce dignitatem condidit, maleuolus iſte vobis inuidet. *Videte igitur* (vt Africani [1] ſcriptoris verbis concludam) *ne ille regna diſpenſet, cuius eſt & orbis qui regnatur & homo ipſe qui regnat; ne ille vices dominationum ipſis temporibus in ſeculo ordinet, qui ante omne tempus fuit & ſeculum corpus temporum fecit; ne ille ciuitates extollat, aut deprimat, ſub quo fuit aliquando ſine Ciuitatibus genus hominum.*

[1] Apolog. aduers⁹ gẽtes. c. 26.

✻

Ritè Truchsium inauditum, iurisquè ordine non seruato damnatum esse à Gregorio XIII. Pontifice Max. *Cap. IIII.*

POSTREMO, vt totam cum Vvaramundo disputationem absoluamus, respondendum erit illius calumniæ: ait enim: *Ex facto cecidisse ab omni iure Coloniensem pro auctoritate dicit Pontifex, non rei veritate ductus, sed propria voluntate. Quid enim fecit? Quid commisit Gebhardus, quod eum ineptum functioni reddat? Deinde, vt commiserit, quæ legitima cognitio data, aut habita est in causam illius?* Auet maxime (vt video) Vvaramundus, vti optimum decet Truchsij patronum, alumni sui mores integerrimos, præclara instituta, gloriosaquè facta iterum, atque iterum discere. Huiusmodi certè recordatio iucundissima illis esse solet, quos eadem vitæ ratio, ingenij similitudo, arcta societas, mutua deniquè beneuolentia deuinxit. Sed cum tantorum gestorum imparem me encomiasten iudicem, illorũ prætera superius a nobis quasi quædam delineamenta, etsi ruditer, & crassè ducta fuerint, rursum hic eadem inculcare non erit necesse; illud tamen si interim egerimus, vt Vvaramundo, vno quidem tantum verbo rem totam roganti, eadem Laconica (quod aiunt) breuitate respõdeamus, ait enim: *Quid fecit Gebhardus, quid commisit?* Immo quid non fecit Gebhardus? quid non commisit? quod sceleris, flagitij, sacrilegij genus non patrauit? quæ deniquè (quod maximè dolendum) orbis regio est huiusce fabulæ non plena? Boni & Catholici omnes doluerunt nobilissimum Ecclesiæ membrum, diabolica instigatione deceptum, perditorum hominum artibus delusum,

dere-

1 Hierem. 31. dereliquisse (vt ait Propheta [1]) dominũ Deum suũ, & abalienatum retrorsum, in profundum malitiæ venisse. Orthodoxæ fidei defensores Christiani Principes periculosum incendium restinguere curarunt: Vt contra peruerso tanti viri exemplo peccandi licentiam subripuerunt mali, scelerum patroni exorti sunt, flagitiorum, & turpitudinum fautores. Horum autem vnica occasio, & incentiuum Truchsius; in cuius tamen vita, ac moribus, nec minimum offendiculum inuenit Vvaramundus. Verum redeamus. *Deinde* (ait) *vt commiserit Truchsius, quæ legitima cognitio data, aut habita est in causam illius?* Cum hactenus ægre tulerit, Truchsiũ Pontificis Romani iudicio sisti, ipsumq; Electoriæ dignitatis priuilegio immunẽ esse contenderit, nunc tamen illa præclusa via nouis artibus tẽtat rei, quam tuetur, aliquod, si possit, pigmentũ dare, scilicet causæ cognitionem ante iudicium requirit, & de non seruato iuris ordine conqueritur, nec tamen aduertit quam sibimet in hoc contrarius existat: Si enim causæ præcognitionem exigit, iam perinde agit, ac si Truchsij defectionem ab Ecclesia Romana Catholica falsò illi impositam dicat, si incestas contractas nuptias neget, si liberam in quauis ab Ecclesia vniuersali damnata secta viuendi licentiam concessam (quæ præcipua sunt suorum errorum capita) inficietur. At si isthæc omnia, & Gebhardus ipse probauit, & probat, si illius patronus Vvaramundus cõmendat, quid clamitat? quo iuris colore Pontificem calumniatur? *A præcipitatæ* [2] *sententiæ prolatione*, (Euaristus Pontifex ait) *compescimur exemplo Dei, qui manifestò delicta cognoscenda esse prius nos docuit,* [3] ne videlicet falsis rumoribus, aut maleuolis delationibus innocens condemnetur: cum autem flagitia ipsa meridiana luce illustriora patẽt cum, in maximum ne dicam vnius populi, aut ditionis, sed vniuersi orbis scandalum committuntur, cum eorum euidẽtia nulla tergiuersatione ne-

2 c. Deus omnipotens 2.q.1. cap. porro. de diuortijs.

3 Gen. 18.

ne negari poteſt, cum continenti pertinaci impudentia patrantur, indulgentur, approbãtur. Quiſne tunc criminum delatorem quærat? quis teſtium probationes exigat? quis denique iuris ordinem (vt vocant) ſeruandum eſſe dicat?

Iam verò quòd huiuſmodi ſit hæc, in qua verſamur, cauſa, nemo eſt, qui ignoret. Etenim, cum vt diximus, nulla fuerit vel remotiſſima orbis regio, ad quam illius notitia non peruenerit, publicam hanc famam firmauit Truchſius, turpiſsimis illis propoſitis edictis, quæ aduerſus Catholicam fidem mille blaſphemijs ſcatentia prodiere. Ad hæc, oblati fuerunt non pauci ſupplices libelli à Catholicis miſsi, quibus & rem plenè narrabant, & ſacram hanc Sedem precabantur, vt præſentiſsimo morbo medelã adhibere non differret. Hæc vtique notoriam (quod aiunt iuris interpretes) rem efficiunt, quinimmo nec notoria tantum cauſa eſt, ſed illis potius quodammodo annumeranda eſſe videtur, quæ continuam permanentemquè (ſic enim vocant) certitudinem habent, veluti Ægyptum à Nilo rigari, Romæ Capitolium eſſe. Perſtat namquè ille in ſuis adhuc ſordibus, peruerſa dogmata à Luthero, Buccero, Caluinoquè hauſta obſtinatè tuetur, fidem orthodoxam, quam docet vniuerſalis Romana Eccleſia, pertinaciter improbat, cum infauſta denique pellice contubernium obfirmatus retinet.

Sed dices, in ius ſaltem vocandum fuiſſe Truchſium, & citationis præſidio, quod naturali lege conceſſum eſſe tradunt auctores, minime deſtituendum; Id etiam non iniuria potuiſſe prætermitti in iſta cauſa planè conſtat; Nec enim citatio neceſſaria eſt, quo caſu nullam reo cõpetere defenſionem liquet, vt rectè docent Pontificij iuris interpretum anteſignani, Innocentius iiij, [1] & Abbas Panormitanus [2] in ſuis Cõmentarijs, vt alios omittam, qui huic etiam ſententiæ ſubſcribunt. Hoc autem

1 cap. vlt. de cohabi. clericorum.
2 cap. ad noſtram. de iureiurando.

consentaneum est, & naturæ ipsi, & æquitati, quæ à natura oritur: alias enim inutilibus dilationibus iudicia protraherentur, præposterisquè causationibus scelerum auctores diutius manerent impuniti.

His accedit, omnem prorsus iuris solemnitatem non rarò solere omitti, quoties in mora periculum vertitur: veluti si quis manus in Principem suum tentauerit inijcere; in patrio solo bellum excitauerit, exercitum contra Rempublicam duxerit, templa, ritus, ceremoniasquè violarit, hostes adduxerit, et si quæ alia sunt legis Iuliæ Maiestatis capita: in hoc enim crimine persępe inauditi, indicta causa, immo uero prius quàm inter reos recepti sint, occiduntur: & quidem meritò: cætera enim facta suas habent leges, sua iura, suas actiones; in summis autem periculis, in maximo rerum discrimine, vtilitas & occasio lex est. Hanc coercendi viam, (vt exemplis ab Romana historia petitis supersedeamus nunc) Agesilaum a amplexum fuisse legimus, qui cum Lacedæmon à Thebanis, duce Epaminonda, obsideretur, admonitus quosdam Ciues de proditione cogitare, noctuquè in vnam domum conuenisse, deprehensos absque vlla iudicij forma (quod nunquam antea illic euenerat, quemquam indicta causa condẽnari) statim necari iussit. *Nã seditio* (dixit) *vt incendium opprimi non potest, nisi vix natam suppresseris.* Cum igitur hoc in humanæ Maiestatis læsæ crimine obseruetur, cur non in Diuinę idem probabimus, præsertim cum in hac ipsa causa tantopere vrgeret præsens periculum? Coloniensi simplici populo tam esset indies perniciosum Pastoris sui à via recta digressi exemplum? pusillis credentibus quotidie scandali præberetur occasio? Denique cùm mora seditio cresceret, nouæ scelerum facies apparerent, iniuriæ, violentiæ, rapinæ nascerentur? Inscriptionibus ne, libellis, dilationibus, testibus, argumentis, interrogationibus tunc temporis opus esse probaret

a Plutarch. in Agesilao.

baret sanus quisquam? Furem certè nocturnum iure ciuili statim occidere licet; deprehensum in adulterio necare; incendij à proprijs ædibus arcendi ergò vicinas destruere, vim vi repellere: in his autẽ causis, quæ ad summam Reipublicæ Christianæ pertinent, ab executione incipere non licebit?

His accedit non deesse quidem probatissimorum authorũ sententias [1] quæ probant id in iudicio rei notoriæ quod apud Pontificem Romanum peragitur, peculiare esse, vt sine citatione acta teneant: & verò non sine iusta causa & ratione. Sacrosanctam enim hanc Romanam Sedem, quæ nec falli nec fallere assuescit, iure optimo vel sine summa solennitatum obseruatione, quæ deseruire solet Iudici vt cognitionis suæ rationem teneat, ius nihilominus cum summa æquitate vnicuique reddere credendum est: & in non seruata plene iudiciorum solennitate (quemadmodum aliàs docet Innocentius [2] Pontifex Neapolitano Archiepiscopo scribens) exactissimum ordinem inesse existimari oportet. Sic vtique incestum illũ Corinthium, quem Asyneritum vocatum esse scribit Athanasius [3] Cõstantinopolitanus in epist. quæ inscripta est De doctrina ad populũ) Satanæ traditum à Paulo docemur. *Ego quidẽ* (ait Apostolus [4]) *absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi,* præsens inquam spiritu, idest præsens per gratiam Spiritus sancti qui non circumscribitur loco, sed vbique præsens adest: quo dicto satisfacit Corinthijs Paulus, si qui essent, qui excusarent incesti illius rumorem falsum esse. Videbat enim (etsi absens esset) tanquam pręsens corde & mente à Deo illuminata, ita vt certissimum, compertissimumque haberet de illo crimine. Simile est quod Elisęus propheta [5] dixit olim Giezi seruo suo: *Nonne* (inquit) *erat cor*

1 Ioan. Butriar. in c. cum olim de re iudic. n. 14.

2 cap. ad nostrã. de Iureiuran.

3 M.S. in Bibliot. Car. Saluiati.

4 1. ad Corinth. 5.

5 4. Reg. capit 5.

meum tecum?&c. Dono videlicet Prophetiæ, quaſi præſens aderat, ita vt rectè ſciret quæ commiſerat Giezi. Prophetæ enim eſt, non ſolum videre futura, ſed præſentia quæ latent, ſicut ait Procopius Gazæus in Commentarijs in Eſaiam.

Tandem quod non ſeruato iuris ordine, nec (quam vocamus) citatione, rei manifeſti condemnati fuerint à ſancta Apoſtolica Sede, vnum inter alia (quæ prudens omittam) teſtimoniũ nos docet; illud eſt ex Eccleſiaſtica hiſtoria ante mille abhinc annos petitũ: Cũ enim Anthymus Conſtãt. Epiphanij ſucceſſor, verbo quidem Quartam Synodum Chalcedonenſem recepiſſet, re autẽ uera illam damnaſſet, atque abominatus eſſet, & cum comprobare eam & anathemate illos percutere, quos illa reijceret, adigeretur, id ille facere diſtulit, alias alijs ex cauſis moras confingens: Agapetus igitur Romanus Pontifex de his rebus inquiſiuit, & à multis Archimandritis Conſtantinopolit. & ab alijs, libellis oblatis, acceptis, Antymo nõ ſolũ inaudito, indictaque illi cauſa, ſed nec vel in cõſpectum quidẽ admiſſo (retuli enim hactenus Nicephori 1 Calliſti verba) Epiſcopatum abrogauit: cuius calculum monaſteria etiã Palæſthinæ & Petrus Hieroſolymitanus Antiſtes, nec non reliqui Eccleſiarum præfecti comprobarunt. Facile autem conſtat ex eadẽ hiſtoria, ſimili qua Vuaramundus vtitur calumnia, fautores Antymi, Agapeti iudicium tanquam præceps, & in quo ſolemnia deficiebant incuſaſſe; Patres enim Synodi Conſtantinopolitanæ Quintæ poſtea ſecutæ poſt obitum Agapeti, aſſidua forſan importunitate Antymi & ſuorum impulſi, copiam illi fecerunt, vt falſa eſſe probaret, quæ in ipſum dicta erant, atque ita ad priorem Trapezuntiam ſedem rediret. Ille autem omni legitima ratione deſtitutus, latitauit adhuc, nec crimina obiecta confutare potuit, ac demum omni ſacerdotali dignitate priuatus remanſit.

1 lib. 17. capit. 9.

Sed

Sed vt recentiori etiam vnico exemplo veterem fuisse istam eorum omnium querelam doceam, qui cum sibi maximorum facinorum essent cõscij, planeque de causa desperarent, si non effugium iudicij, moram saltẽ vanis dilationibus propositis assequi desiderauerunt, & simili qua Vvaramundus vtitur calumnia, tanquam iniustum & in quo deessent legitima, Pontificis Romani iudicium incusarunt; adducam (dico) vnicum exemplum, recens quidem illud, &, nisi fallor, huic in qua versamur causa quam simillimum: illud enim est ex Innocentio Romano Ponti fice desumptum: qui cum Adolphum Archiepiscopum Coloniensem Electoremque, (vt superius memini) excommunicasset, & ab omni dignitate deposuisset, Archiepiscopo Moguntino & Episcopo Cameracensi, & Scholastico sancti Gereonis scripsit in hęc verba: *Quatenus* [1] (inquit) *hæc sunt apud vos luce clarius manifesta dictum Archiepiscopum pulsatis campanis & accensis candelis, singulis Dominicis diebus & festiuis excommunicatum publice denuncietis & faciatis per omnes Ecclesias Colonienses & vicinas Diœceses sub solennitate simili nunciari.* Nec enim causæ præcognitionem præcedere iubet Innocentius, sed ab ipsa executione protinus incipere. In quo tamen ille, vt omnem calumniæ occluderet aditum, iuri adhuc suo quodammodo cessisse visus est; rite enim poterat quem manifeste reum cognouerat excommunicatum ipsemet denunciare, vt paulo superius illis verbis docuit, *Cum iuxta canonicas sanctiones accusatione non egeant manifesta: potuissemus in eum sententiam promulgare &c.* His infinita propè adiungere possemus exẽpla, ni diutius, quam par est, lectorem moraremur. In re enim versamur notissima, & quæ per calumniam, aut impudẽtiam negari tantum potest.

1 Crãtz. li. 7. Saxoni. cap. 24.

Hæc igitur sunt (lector pie) quę S.D.N. Gregorio xiij. Pont. Max. ab Leonharto Vuaramundo in sua illa admonitione obijciuntur, quæ quanti sint roboris, quantas habeant

beant vires,esto penes te iudicium:his certe tantum,quæ fideliter adnotauimus,argumentis, proposita sua confirmat.Si quæ autem præterea in eo sunt,maledicta, impudentię,conuicia, blasphemiæ,& impietates sunt; quibus tamen respondere nolui,ne simili vanitate viderer insanire.Denique(dicam vno verbo)sic agit iste, vt illum decet qui eiusmodi causam fouet, causam videlicet quã Deus omnipotens, in cuius sunt manu cardines terræ, iam iudicasse visus est.Breuissimo enim temporis spatio horum malorum caput, ipsiusque capitis membra in direptionem [1] dedit Dominus,& vt maleuolis olim Saulis consiliarijs imprecabatur Regius Psaltes, [2] ad nihilũ fere omnes deuenerunt,sicut fluit cera ablati sunt.

1 Esa.42.
2 psal.57.

Superest nunc(Christiane lector)vt eadem nobiscum vota cõcipias,& inclytæ nationi Germanicæ tot certe titulis clarissimæ, tot antiquitatis elogijs celeberrimæ lumen sancti Spiritus pręferri cælitus exoptes,& ab ea pauciora quidem iam sed adhuc pestifera zizaniorum semina,quæ salubres sationes suffocant,penitus eradicari precibus contendas. Debitum est hoc eximij nominis Genti, eam vt cupias fidem seruet, colat, tueatur, quam à beato Apostolo Thoma [3] primũ,mox à Martiali [4] Petri discipulo,& à Clementis [5] Põtificis Romani legatis iam olim didicit,quam postea pijssimè coluit & religiosissime retinuit.Tu verò in primis,Coloniẽsis nobilissima Ciuitas,Catholicorum precationibus ad Deum feruentissimè missis,adiuuanda es:Felix,sanctaque vrbs fidei stabilitate præclarissima,tot beatissimorum martyrum ac Virginum memoria, corporibus,reliquijs veneranda,tot sanctissimorum præsulum egregia educatione beata, quæ sanctum Maternum Antistitem primum, diuini verbi splendidissimum lumen, habuisti: post hunc Seuerinum, Arianæ pestis acerrimum propulsatorem; Euergistum Martyrem gloriosum; Aquilinum

3. Hiero. In catalogo. Doroth.in Synopsi. Oecumenius in Actis.
4 gl.in c.vinci.de sacra inst.
5 In epis.ad Iacob fratrem Dñi.

num ſacrarum vndecim millium Virginum martyrij teſtem illuſtrem : Simoneum Euangelica prædicatione clarũ;Gunibertum, Agilolphum, Brunonem,Herebertum, Annonem viros ſanctiſsimos ; Engelbertum De monte præſtantiſsimum martyrem : vt plurimos alios ſacratiſsimos Præſules tuos omittamus . Faxit igitur Deus, à quo omne datum optimum,& omne donũ perfectum,vt continua ſimilium paſtorũ ſucceſſione gau deas;& in ea orthodoxa fide ſtabilis maneas, in qua nunquam recidiua perſtitiſti.Denique vt ſicut iam olim(quẽ admodum ſcripſit Optatus Afer) Conſtantinus Imperator grauiſsimos,doctiſsimoſque viros,qui controuerſias inter Catholicos & Donatiſtas in Africa exortas,componerent,Iudices ex Agrippina ſelegit,& dedit,ſic apud te ſint ſemper veri, æquique religionis non fictæ æſtimatores ac Iudices, qui populum doctrina inſtruant, exemplo emendent,auctoritate regant,& Lutheranæ factionis graſſantem peſtem auertant.

Hoc nimirũ ſi quãdo ſpectare licuit , hoc maxime tẽpore iam iã futurũ confidimus. Cũ etenim,Erneſte Princeps,auita domus tuæ per tot ætatum ſæcula ſplendidiſſima claritas, tot Heroum inclyta ſucceſſione deriuata nobilitas, eximia tandẽ in omni bonorum eorum genere,quæ ἐξωτερικὰ à philoſophis appellãtur, poſſeſſione,felicitas, ad prauorum hominum effrenatas libidines compeſcendas, continendoſquè in officio populos, quamplurimùm ſit valitura : tum maximè ijs animi præſidijs,quibus Dei gratia te te ſemper maximis rebus digniſſimum præparaſti; doctrina videlicet ſingulari, feruentiſsima (qua te vnicè affectum eſſe audimus) ouium tuarum charitate,& in pauperum ſubuẽtione regali munificentia,religione,ac pietate non ficta, diuinæ legis zelo ardẽtiſſimo, his, inquam,animi tui dotibus futurum

esse credimus, vt quã puer olim Romæ præclara indole, heroicęq; virtutis, igniculis detectis summã de te opinionẽ concitasti, quã optima institutione adolescẽs postmodùm comprobasti, quam denique ad istam ætatem, & dignitatem euectus, sanctissimi Pastoris officio præclarè fungens, mirè firmas, eandem in posterum magis, ac magis confirmabis: ac te Coloniensis Ecclesiæ præside aurea illa (in quibus vera religionis obseruantia viguit) reuiuiscent tempora. Et verò non desunt nobis ad hãc tuã felicitatem, ac gloriã coniectandã validissima præsagia: Pręest enim Catholicę EcclesięPõtifex GREGORIVS, cuius quidẽ feliciss. nominis auspicijs id cęlestis prouidẽtia indulsisse videtur, vt illo hactenus inaugurati, orthodoxæ fidei fuerint propagatores gloriosi, hæreseonquè diligentissimi extirpatores: Gregorij Magni [1] primi diuina opera, Ligures, Veneti, & Iberi à schismate ad vnitatem Ecclesiæ Romanæ reuocati sunt; Barbaricini, Sardi, & Campani rustici à Paganismo vindicati; Donatistarum hæresis ab Africa expulsa, Manichæi in Sicilia, Ariani in Hispania, Agnoetæ in Alexandria, & legationibus, & scriptis ab Ecclesiæ communione seiuncti; Gallia à Neophytorum hæresi, & simoniaca labe purgata, Anglia denique tota per Augustinum Monasterij præpositum conuersa. Iam de Secundo, & Tertio locupletissimum Germania vestra reddet testimonium: illorum enim sollicitudine Thuringi, Saxones, Germani, qui propter Paganos fidem deseruerãt, ad verã agnitionem peruenerunt, vt ex epistolis ad ipsos Germanos, & illa, quæ ad Bonifaciũ Episcopũ scripta est, auctorumquè monimentis satis colligitur. Gregorijs Quarto, & Septimo in Dania, & Sueuia Euangelij lumen illuxit primùm: Octauo qualis fuerit in Christi hostes animus, quantus pro Hierosolyma recuperanda ardor, vel minimum Pontificatus sui tempus testatur. Noni eadem fuit animi propẽsio; summo

1 Pau. Diac. in vita sancti Greg.

mo enim conatu ſanctam Ciuitatem à Barbaris infidelibus vindicare conatus eſt, ac proinde belli Aſiatici exactor diligentiſſimus appellatus eſt. Sub Decimo celebre illud Concilium Lugduni coactum eſt, in quo ad expeditionem contra Saracenos, ad vnionem Græcæ, Latinæque Eccleſiæ, ad pacem Chriſtianorum pertinentia tot extant edita decreta. Denique ſub Vndecimo in Lituania Euangeliũ prædicatum eſt, & gens illa ad veram religionem conuerſa. His, noſtro feliciſſimo æuo Gregorius Decimus tertius ſuccedens, & Eccleſiæ Catholicæ habenas prudentiſsimè gubernãs, incredibili Domus Dei actus zelo, nihil prius aut potius in vita ducit, quam vineam Domini, cuius ille ſuſcepit curam, à luporum quotidianis incurſibus ſartam tectamquè ſeruare, ſumma mentis puritate, eximio animi candore, incredibili vitæ innocentia Catholicos regere, inſtabiles confirmare, deſciſcẽtes reducere, illos vero quos in reprobum ſenſum tradidit Satanas, tanquam exitiale nocumentum à ſanis membris auertere feruẽtiſſimis ad Deum conceptis precibus, in aſſiduo ac prope quotidiano Miſſæ ſacrificio contẽdit. Merito igitur tanti Paſtoris ſanctitate, hoc tui illuſtriſsime Erneſte Pontificatus tẽpore, nõ ſolũ in nobiliſſima natione Germaniæ, in qua cæleſti beneficio tot reſtant millia fidelium, quorum ante Baal genua non ſunt incuruata, verum in exteris, remotiſſimiſquè mundi partibus, quibus adhuc veritatis lux non affulſit, vera religionis Chriſtianæ ſemina ſe renda eſſe, ex quibus is ſequatur fructus, qui dignus ſit ad æternam Beatitudinem conſequendam, ſperamus.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag.	Vers.		Lege
2	10	dixi.	dixit.
2	15	adiebam.	audiebam
2	18	ſurſum.	rurſum
18	1	ſed:ens.	ſedens
25	30	vidiſtis.	vidiſti
27	17	conſtitit.	conſtituit
28	26	notitia eratrerum.	notia erat aut rerum
96	3	comprobatā electionem.	comprobata, electionē.
105	8	præſtant.	proſtant.
111	17	aliquando.	aliquantò.
112	36	tanquam .	hoc enim.
133	13	τῆ	τῆς
149	8	cuius ſingularis doctrina eximiaque ſanctitas.	ob cuius ſingularem doctrinā eximiāq. ſanctitatē
151	8	etſi.	& ſi.
151	16	peritè	petitæ.
159	25	aut horum.	authorum.
170	25	Archiepiſcopus Galliæ.	Archiepiſcopis Galliæ
172	16	Gelaſuis:admonet.	Gelaſius admonet,
173	31	ingeninm aut eorum.	ingenium, aut eorum.
174	4	in quam niſi.	in quam vos niſi.
In præfatione. 7	4	euomit	euomet

Si quæ alia deprehendantur, (nam ab interpunctis maximè nonnulla vitioſè ſcripta ſunt) facile erit Lectori illa corrigere.



Scriptorum nomina, non quidem omnium, ſed quorum potiſſimum, auctoritate, in hac Reſponſione vtimur.



A

AMbroſius Mediolañ.
Aurelius Auguſtin⁹.
Auguſtinus Anconitanus,
Anſelmus.
Agapetus Pontifex. I.
Athanaſius Alexãdrinus.
Andreas Hieroſolymitan.
Alexander Alexandrinus.
Anaſtaſius Sinaites.
Anaſtaſius Bibliothecarius
Antoninus Florentinus.
Aeneas Gazzæus.
Aeneas Siluius.
Ariſtoteles.
Aulus Gellius.
Abbas Panormitanus.
Abbas Vuſpergenſis.
Albertus Crantzius
Alexander ab Alexandro.
Antonius Contius.
Annales Colonienſes.

B

BIblia ſacra.
Baſilius Magnus.
Bernardus Clareuall.
Bonifacius Epiſcopus.
Beda.
Balſamon Antiochenus.
Blondus.
Baptiſta Fulgoſius.
Bartolus I.C.

C

COncilia ſacra.
Ceremoniale Romanum.
Clemens P. I.
Cyprianus Carthaginenſ.
Cyrillus Hieroſolymitan.
Cyrillus Alexandrinus.
Caſsiodorus.
Claudianus Mamertus.
Clemens Alexandrinus.
Ceſarius Arelatenſis.
Caſsianus.
Conſtitutiones Apoſtolorum.
Conſtitutiones Caroli Magni.
Carolus 4. Imperator.
Chronica Compendioſa.
Cromerus.
Cuſſentius.
Cæſaris commentaria.
Cornelius Tacitus.

D

DAmasus P.I.
Didymus Alexandr.
Dorotheus Tyrus.
Dionysius Abbas.
Dionysius Alexandrinus.
Dodechinus.
Diogenes Laertius.
Dionysius Halicarnasæus.
Diodorus Siculus.

E

EVcherius Lugdunens.
Epiphanius.
Eusebius Cæsariensis.
Euthymius.
Eusebius Emissenus.
Euagrius.
Elias Cretensis.
Erphesphordēsis monach.

F

FVlgentius Ruspensis Episcopus.
Franciscus Surius.
Franciscus Rosieres.
Franciscus Turrianus.
Festus Pompeus.

G

GRegorius Magnus. P.I.
Gregorius Nazianzænus.
Gregorius Nissenus.
Gelasius.P.I.
Gaudentius Brixianus.
Georgius Cedrenus.
Gotfridus Biterbiensis.
Georgius Merula.

H

HOrmisda P.I.
Hieronymus.
Hilarius Pictauensis.
Hegesippus.
Hermias Sozomenus.
Henricus Mutius.
Hermanus Contractus.
Hunibaldus.
Historia Lantgrauiorum Thuringiæ.
Henricus 4. Imperator.
Herodotus.
Herodianus.
Henricus Card. Hostiens.
Hosius Cardinalis.

I

IVs Canonicum.
Ius Ciuile.
Innocentius P.I.
Iustinus Martyr.
Irenæus Lugdunensis.
Ioannes Chrisostomus.
Ioannes Maxentius Constantinop.
Ignatius Antiochenus.
Isidorus Hispalensis.
Ionas Aurelianensis.
Idacius Clarus.
Iosephus Flauuius.
Iosephus Gorionis. F.
Isocrates.

Leo

L

LEo P.I.
Luit prandus.
Lambertus Scafnaburgensis.
Lupoldus Bemburgius.
Leander Albertus Bononiensis.
Lactantius Firmianus.

M

M. Antonius Sabellicus.
Marianus Scotus.
Martinus Polonus.
Marcus Tullius Cicero.
Macrobius.

N

NIcolaus P.I.
Nicephorus.
Nauclerus.

O

ORigenes.
Optatus Meleuitan.
Orosius.
Oecumenius.
Otho Frisingensis.
Onuphrius Panuinus.

P

PAulus Emissenus.
Paulinus Aquileiẽsis.
Paccianus Barchinonẽsis.
Petrus Alexandrinus Episc.
Prosper Aquinaticus.
Procopius Gazzæus.
Petrus Damianus.
Paulus Diaconus.
Primasius.
Philastrius.
Photius Constantinopol.
Paulus Langius.
Ptolomæus Lucensis.
Paulus Aemilius.
Paulus Iouius.
Platina.
Petrus Cluniacensis.
Polybius.
Plutarchus.
Plato.

R

REgestum Cardin. de Aragon. in Bibliothæc. Illustrissimi Cardinal. Carafa.
Rufinus.
Raphael Volateranus.
Regino Prumiensis.
Robertus de Monte.

S

SIluester P.I.
Simachus P.I.
Saluianus Massiliensis.
Sophronius Hierosolym.
Sulpitius Seuerus.
Socrates Scholasticus.
Sigibertus Monachus.
Sigefridus Misnensis.
Sixtus Senensis.
Strabo.

Sue-



188

REGESTVM

† †† ††† ABCDEFGHIKLMNOPQRS TVXYZ. Aa.

Omnia ſunt folia, præter ††† & Aa, quod eſt dimidiũ.

ROMAE,
Apud Franciſcum Zannettum.
M. D. LXXXV.